

LIBER MISCELLANEUS EDITUS SOCIETATE PHILOLOGICA…







LIBER MISCELLANEVS

EDITVS

A

SOCIETATE PHILOLOGICA BONNENSI



BONNAE

APVD ADOLPHVM MARCVM

CIƆIƆCCCLXIIII

FRIDERICO · RITSCHELIO

VNIVERSITATIS · FRIDERICIAE · GVILELMIAE RHENANAE

PER · QVINQVE · LVSTRA

PROFESSORI · CLARISSIMO

S

Cum semper Tvi, Praeceptor Dilectissime, summa reverentia ac pio amore eorum animi repleti sunt, quos, cum antiquarum litterarum iucundissimis studiis incumbentes a Te potissimum auxilium petierunt, et disciplina Tva et, qua nemini dees, promptissima facilitate adiuuisti, tum hodie ut uel maxime debitae pietatis recordemur, memoria nos adducit illius diei, quo primum ante haec quinque lustra, discentibus et docentibus aeque exoptatus munus Tvvm solemni oratione in alma nostra uniuersitate iniisti. atque hoc suscepto quam multa per quinque et viginti annos ingeniorum praeclara institutione perfecisti! quantum Bonnae, litterarum sedi et ante et nunc tot uirorum inlustrium nominibus celeberrimae, splendorem Tv addidisti! in hanc urbem adulescentes Tvae uirtutis insigni exemplo proposito undique concurrunt, qui ad indolis uires, quas elicere Tv prae ceteris scis, confirmandas corroborandasque operae

suae certam rationem requirunt: discedunt uerae eruditionis amore ita imbuti, ut speciosas opiniones prudenti consilio submittere, iuuenilis studii nimium impetum strenua disciplina temperare non uereantur. haud aliter atque dulci huius regionis amoenitate Tvis uerbis, Tva cogitandi et agendi magnitudine illi elati et incitati sunt, ut quod quisque uiuendi propositum sequitur, uiuide et acriter amplectentes, nulli sordido lucro inseruientes et litteras amare pergant et, quae in schola didicerint, in uita praestare enitantur. quantam salutem litteris attuleris Tv grande litterarum decus, nec nostrum est iudicare nec quisquam ignorat, qui a nostris studiis non prorsus alienus est: nos discipulos decet ingeni Tvi singularem praestantiam admirari et uiam sequi, quam Tv expediisti ac certissimam commonstrasti; quod maius fortasse est, Te ut magistrum nostrum suspicimus sanctissimeque colimus. hoc igitur animo nos, qui salutari spiritu ex Te manante

quodammodo promoti sincera uoluntate ad comprobanda TVA consilia et uires nostras tentandas exercendasque inter nos artiore communione et uegetiore studiorum commercio congregati eramus uel etiam nunc sumus, hunc diem uere festum non silentio nobis praetermittendum esse perspeximus. itaque ex animi sententia TIBI congratulantes subsequentes pagellas documentum esse uolumus, quantulumcumque est, et intimi nostri sensus et studii, quo scholis TVIS interfuimus; quamquam firmius et aere perennius monumentum in pectore nostro et gratissima recordatione positum esse scito, quam TIBI quacumque ratione testari numquam desinemus. hinc fidelissima nostra uota TE hodie et semper prosequi persuasum habeto: utinam et TV per multa dehinc lustra firmissima utaris ualetudine integrisque animi uiribus, et — quod uotum TIBI iucundissimum esse scimus — ea, quae ad excolendam iuuentutem con-

tulisti, laetissimos in aeternum et uberrimos fructus referant!

Societatis philologicae Bonnensis sodales:

OTTO KORN, PHIL. DR.
FRIDERICVS BLASS, PHIL. DR.
HERMANNVS SCHRADER, PHIL. DR.
CAROLVS DZIATZKO, PHIL. DR.
GVILELMVS WAGNER, PHIL. DR.
THEODORVS BARTHOLD, PHIL. DR.
HENRICVS BVBENDEY, PHIL. DR.
GVILELMVS BRAMBACH, SEM. SEN.
IOSEPHVS KAMP, PHIL. DR.
EDVARDVS HILLER, SEM. SOD.
MICHAEL ROSS, PHIL. STVD.
BERNHARDVS ESCHENBVRG, SEM. SOD.
OTTO RICHTER, SEM. SOD.
ALBERTVS DE BAMBERG, SEM. SOD.

Bonnae d. VI Mai CIↃIↃCCCLXIIII.

INDEX COMMENTATIONVM.

DE SORTITIONE ACTORVM SCAENICORVM APVD ATHENIENSES.

SCRIPSIT

HERMANNVS SCHRADER.

De rebus actorum scaenicorum apud Athenienses inde a prima artis origine usque ad aetatem Demosthenicam paucissima tantum nobis cognita sunt neque ea magni momenti. ita de condicione quae actoribus cum poëtis intercedebat nihil fere scimus, quae autem scimus ita sunt comparata, ut sibi contradicere uideantur. notissima enim illa Hesychii uerba (u. *νέμησις ὑποκριτῶν*)[1]: *οἱ ποιηταὶ ἐλάμβανον τρεῖς ὑποκριτὰς κλήρῳ νεμηθέντας ὑποκρινομένους τὰ δράματα· ὧν δ*[2] *νικήσας εἰς τοὐπιὸν ἀκρίτως παρελαμβάνετο. ἔστιν οὖν ὡς ἂν διαίρεσις* aperte pugnare uidentur et cum poëtarum nonnullorum peculiaribus utendi actoribus consuetudine et cum ea re, quod secundum Istrum ap. uit. Soph. auct. Sophocles fabulas suas ita scripsisse putatur, ut quid potissimum actoribus conuenturum esset non neglegeret. quae, ut uidetur, difficultas non minus atque uniuersa quaestio adhuc in transcursu tantum a uiris doctis tractata est[3]; qua re non ab re uidebitur, data opera in eam inquirere.

Ac primum quidem quaerendum uidetur, num re uera

[1] Idem apud Suidam et Photium legitur; nisi quod ille *νεμήσεις* ut *διαιρέσεις* et *ὧν ὁ νικήσας εἰς τοὐπιὸν ἄκριτος παραλαμβάνεται* habet. eadem discrepantia apud Photium, qui praeterea pro *ὡς ὧν* habet *οἷον*.

[2] Sic quidem recte Musurus, cod. *ᾧ ὁ.* cum Musuro consentiunt Suid. et Phot.

[3] Praeter eos, quorum sententiae infra suo loco afferentur, Schneiderum, Bernhardyum, Bergkium, hic nominandi sunt Meier in '*Allg. lit. zeit.*' 1836, no. 118 col. 325, Beerius, '*über d. zahl d. schspler bei Aristophanes,*' Lips. 1844, p. 7, Dindorfius, uit. Soph. p. XXX.

quas attulimus res sibi contradicant. quod ut iudicari possit, ante omnia de tempore agendum est, cui sortitio illa Hesychii adscribenda uidetur. ad tempus Sophocle superius eam pertinere non posse, e tribus actoribus qui commemorantur sua sponte apparet, neque post mortem Euripidis et Sophoclis, si adhuc fuit, diu eam usu fuisse, e condicione actorum concludi potest, quae sensim et pedetentim uel liberrima facta est, ita ut Demosthenis temporibus eodem fere loco actores quibus antea poëtas habitos uideamus [4]. optime uero quaeque ratio qua impediebatur quominus actorum auxilio neque sua ipsorum ui poëtae excellerent, tempori conuenit, quo acerrimum studium et certamen poëtarum flagrabat, quod idem fere est ac si dicas tempus inde a prima fabula Sophoclis usque ad illius et Euripidis mortem.

Longe difficilior est quaestio, utrum locus Hesychii etiam de comoedia an de sola tragoedia sit intellegendus. de qua re iudicium constare non potest. notum quidem est ex Aristotele (Poet. 5 p. 1449 B 2), diu fuisse donec archon comoediae chorum concesserit, ita ut aliter atque in tragoedia post longum demum tempus ab origine eius ciuitas curam quantulamcunque eius habuisse uideatur. quam curam initio admodum leuem fuisse, uel inde apparet, quod ipse Aristoteles [5] nesciuit, quinam uel numeri actorum comicorum auctores exstiterint. paullatim maior cura eius habita est, cumque accedat, ut multis rebus simillima sit comoedia tragoediae (chori rationes dico, si a numero choreutarum discedas, uniuersum certamen, iudices) [6], per se spectatum consentaneum sane uidetur, etiam actorum comicorum eandem fuisse rationem quam tragicorum. numerum actorum comicorum, quos adhuc C. F. Hermannus [7] contendit plures fuisse

[4] V. Grysarum, de Graecorum tragoedia qualis fuit circum tempora Demosthenis, progr. Colon. 1830. Welcker trag. G. p. 911. 1239.

[5] l. c. lin. 4: *Τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ προλόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται.* quod igitur contendit Anon. de comoedia (p. XVI, 18 in schol. Arist. ed. Dübn.): *Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν* recte addubitasse uidetur Meinekius, fr. com. I, p. 50, frustra obloquente Beerio, '*über die zahl der schspler bei Arist.*' Lips. 1844, p. 18.

[6] Cf. Beer. l. c. p. 17.

[7] In '*Jahrbb. f. wiss. Kritik*' 1843, col. 391. 398.

quam tres, sententiae nostrae obesse, post Beerii librum '*über die zahl der schauspieler bei Aristophanes*,' Lips. 1844, pro certo contendi non potest. concedendum tamen est fieri potuisse, ut cum comoediae maior haberi coepta est cura, consuetudo illa quam Hesychius affert, iam desierit. haud enim scio an recte dixerit Bergkius, uit. Soph. p. XXXIV, etsi falsis, ut e disputatione nostra apparebit, rationibus ductus: '*quod uulgo existimant, sorte actores poëtis tributos esse, id non diu uidetur obtinuisse.*'

Ex eis quae modo disputauimus sequitur, quod Aeschylus duobus eisdem actoribus usus esse dicitur, non habere, quod cum sortitione aliqua actorum uel seuerissima pugnet. legitur enim in uitae Aeschyleae parte quae codicibus Oxoniensi, Guelferbytano, Stanleiano (O. G. S. Westermanni) debetur (p. 121, 79 West.): *Ἐχρήσατο δ' ὑποκριτῇ πρώτῳ μὲν Κλεάνδρῳ, ἔπειτα καὶ δεύτερον αὐτῷ προσῆψε Μονίσκον τὸν Χαλκιδέα*[8]. codices illi notae quidem sunt deterioris, quibus tamen non omnis fides est deroganda, cum e Dicaearchi quam afferunt sententia de tertio actore a Sophocle adiecto, satis bonis eos niti fontibus appareat.

Multo minus fidendum locis, quibus de Sophoclis actoribus agitur. ad id enim quod apud Aristophanem nub. 1264—66 legitur:

ΑΜ. ὦ σκληρὲ δαῖμον, ὦ τύχαι θραυσάντυλες
ἵππων ἐμῶν, ὦ Παλλὰς ὥς μ' ἀπώλεσας.
ΣΤΡ. τί δαί σε Τληπόλεμός ποτ' εἴργασται κακόν;

scholium Musuri inter alia haec habet: *ἄλλοι δὲ τραγικὸν ὑποκριτὴν εἶναι τὸν Τληπόλεμον συνεχῶς ὑποκρινόμενον Σοφοκλεῖ.* cum et Rauennas et Venetus et reliqui boni libri his uerbis careant, per se spectatum a ueri specie non abhorrere uidetur, natum esse scholium e loci interpretandi difficultate. hic tamen non de simulata doctrina sed de errore Musuri cogitandum esse, probari potest. sine dubio enim uerba supra allata originem debent scholio quod e cod.

[8] Alius actor Aeschyli fortasse fuit Oeagrus. dicit enim schol. Ar. Vesp. 579 RV: *ὅτι τραγικὸς ὑποκριτὴς ὁ Οἴαγρος εἴρηται πρότερον. — — καὶ γὰρ ὑπεκρίθη τὴν Νιόβην ἣ Σοφοκλέους ἢ Αἰσχύλου.* iam cum schol. u. 556 V habeat: *Αἰσώπου τι γελοῖον: Αἴσωπος τραγῳδίας ἐγένετο ὑποκριτὴς γελοιώδης — — Αἰσχύλου δὲ ἦν ὑποκριτής*, Dindorfius pro *Αἴσωπος* scribendum coniecit *Οἴαγρος* et uniuersam annotationem ad u. 579 retulit.

Reg. 2821 attulit Dübner ad u. 1264. in quo quae sub finem leguntur: ἄλλοι δέ φασιν ὡς Σοφοκλῆς ἐποίησε τὸν Τληπόλεμον ταῦτα λέγοντα. εἰκότως νῦν τούτοις ὁ δανειστὴς χρῆται· διὰ γὰρ ἱπποτροφίαν ἐπτώχευσεν. ἔοικε δὲ μᾶλλον τοῦ Σοφοκλέους εἶναι ταῦτα. διὸ καὶ ἐπάγει· 'τί δὲ Τληπόλεμός σε κακὸν εἴργασται;' ὡς τοῦ Τληπολέμου ταῦτα εἰπόντος, uel Musurus uel aliquis ante eum magistellus sic in usum suum conuertit partim falso intellecta: ἄλλοι δὲ τραγικὸν ὑποκριτὴν εἶναι τὸν Τληπόλεμον συνεχῶς ὑποκρινόμενον Σοφοκλεῖ. εἰκότως δὲ τούτοις ὁ δανειστὴς χρῆται, διὰ γὰρ ἱπποτροφίαν ἐπτώχευσεν.

Alterum actorem Sophoclis e schol. Ar. Ran. 791 effecerunt. ad uerba enim poëtae:

νυνὶ δ' ἔμελλεν ὡς ἔφη Κλειδημίδης
ἔφεδρος καθεδεῖσθαι

in Veneto annotatum: Κλειδεμίδης: Καλλίστρατος, ὅτι ἴσως Σοφοκλέους υἱὸς οὗτος. Ἀπολλώνιος δέ, ὅτι Σοφοκλέους ὑποκριτής. τοῦτο δὲ πόθεν, σκέψασθε. διαβάλλει δὲ καὶ Κλειδημίδην ὡς κακόξενον. quem igitur uirum quis fuerit nesciuit sed suspicatus tantum est Callistratus, Apollonius, Dyscolus sine dubio, qui tot post eum saeculis uixit, actorem Sophoclis fuisse audacter contendit. quam hominis doctrinam modesto suo τοῦτο δὲ πόθεν, σκέψασθε recte addubitasse uidetur scholii nostri auctor. fortasse tamen nihil nisi coniecturam qualemcunque proferre uoluit Apollonius, de qua re condicio scholii hodie iudicium constare uetat.

Euripidem certis actoribus usum esse, non nisi uno exemplo probari potest, Cephisophontis, neque multi pretii auctore nititur. Thomas enim magister in synopsi uitae Euripideae quam scholiis suis [9] praemisit haec affert (p. 140, 29 West.): ἐφωράσας δὲ τὸν αὐτοῦ ὑποκριτὴν Κηφισοφῶντα ἐπὶ τῇ γυναικί κτλ. uno Thoma auctore nemo profecto sibi persuadebit, Euripidem Cephisophonte continuo usum esse actore, cum reliquae poëtae uitae, cum Thomana quidem comparatae optimae, nihil eius modi habeant, neque Aristophanes Cephisophontem cavillans (Ran. 944. 1408 [1452] [10] eum actorem fuisse uel uno uerbo prodat.

[9] De quibus u. Dindorf. praef. schol. Eur. p. XVII.

[10] ubi neque scholia quidquam de actore Cephisophonte.

Grauius testimonium exstat de Cratete Cratini actore: schol. Ar. Equ. 537 V: οὗτος (Κράτης) κωμῳδίας ἦν ποιητής, ὃς πρῶτος ὑπεκρίνατο τὰ Κρατίνου, καὶ αὐτὸς ποιητὴς ὕστερον ἐγένετο. lectione tradita seruata, sequi uideri potest, Cratetem Cratini fuisse actorem primarium [11]. cum tamen πρῶτος ὑπεκρίνατο paullo exquisitius dictum esse uideatur quam quod scholiastae tribui possit, recte sane a Meinekio (fr. com. I p. 59) facillima mutatione pro πρῶτος scriptum esse uidetur πρῶτον, ita ut nihil dicat scholium, nisi Cratetem actorem fuisse Cratini [12].

Hoc de Cratete quo modo cum Hesychii quae uidetur esse sententia conciliari possit, ex eis quae supra de comoedia disputauimus sequitur. poterat nimirum ciuitas nondum eam quam postea comoediae impendere curam, poterat nondum actorum constitutus esse numerus ternarius (cf. not. 5.), poterant denique actores comici curae quae tragicis impendebatur omnino fuisse expertes.

Quod notissimi illi Philonides et Callistratus a schol. Ar. Nub. 531 dicuntur posteaquam pro Aristophane fabulas docuerint actores eius fuisse (παῖς δ' ἑτέρα· δηλονότι ὁ Φιλωνίδης καὶ ὁ Καλλίστρατος οἱ ὕστερον γενόμενοι ὑποκριταὶ τοῦ Ἀριστοφάνους), neque per se spectatum est probabile, neque bono codici debetur. scholium enim illud Brunckii tantum codici alicui debetur, cuinam non notum est; a melioribus libris exsulat. quid vero Callistratus et Philonides Aristophani re uera praestiterint, hic omitti potest, cum quaestionem nostram non tangat. nam eam sententiam quae eos nihil nisi primas partes Aristophani egisse statuit iure dicas explosam esse [13]. si uero, quae Edmundi

[11] Quod si recte se haberet, concludi posset, Cratinum ipsum non prodiisse in scaenam.

[12] Errat Bernhardyus (Elem. litt. Gr. II, 2, p. 515) dicens, Cratetem id Cratino praestitisse, quod hodie munus eius est quem 'Regisseur' uocamus. hoc enim in uerbo ὑποκρίνεσθαι inesse non potest, potest fortasse in uerbo διδάσκειν. ὑποκρίνεσθαι τὰ Κρατίνου nihil est nisi 'in Cratini fabulis partes agere,' ut ὑποκρίνεσθαι τραγῳδίας (e. c. Plut. Dem. 28) 'in tragoediis partes agere.' ceterum Cratetem actorem fuisse testatur etiam tract. περὶ κωμῳδ. ap. Wesc. p. 162, 31 (schol. Arist. ed. Dübn. p. XV. 34.

[13] V. Enger. in Iahnii annal. LXXIII p. 337 Kockii (progr. Guben. 1855) errorem redarguentem.

Meyeri est sententia (de Aristophanearum fabularum commissionibus, diss. Berol. 1863), Callistratus et Philonides et fabulas docuerunt et primas partes in eis egerunt [14], hoc contra sortitionem aliquam histrionum minime pugnat, cum primarum illi partium actores tum eodem modo quo ipsi poëtae tres, fortasse duo tantum, actores accipere potuerint, nisi ipsi iam certos sibi adiunxerunt secundarum et tertiarum partium actores, quod quomodo cum sortitione conciliari possit, infra uidebimus.

Quod Sophocles Tlepolemum et Clidemidem peculiares habuisse uidebatur actores, optime cum ea re conuenit, quod πρὸς τὰς φύσεις τῶν ὑποκριτῶν γράψαι τὰ δράματα putatur. putatur quidem Istrus ap. uit. Soph. auct. (West. p. 128, 32) hoc dixisse. audiamus tamen uniuersam sententiam quam Istro biographus tribuit. Φησὶ δὲ καὶ Ἴστρος, inquit, τὰς λευκὰς κρηπῖδας αὐτὸν ἐξευρηκέναι, ἃς ὑποδοῦνται οἵ τε ὑποκριταὶ καὶ οἱ χορευταί, καὶ πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν γράψαι τὰ δράματα, ταῖς δὲ Μούσαις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συναγαγεῖν. quae uerba plerique [15] quidem eo quem dixi modo intellexerunt, etsi uerba accurate consideranti non potest dubium esse, quin illa πρὸς τὰς φύσεις αὐτῶν et ad actores et ad chorum spectent. ita primus quantum scio recte uerba intellexit Helbigius (quaest. scaen. p. 3), qui tamen nimis in uniuersum inde conclusit: '*ex quibus manifestum est artissimam Sophocli cum illis (choreutis) intercessisse consuetudinem.*'

Sed ante omnia animus in id aduertendus est quod Istrus scripsit, Sophoclem πρὸς τὰς φύσεις τῶν ὑποκριτῶν καὶ τῶν χορευτῶν γράψαι τὰ δράματα. prorsus h. l. uerbis Hesychii neglectis, cogitari quidem potest, Sophoclem fabulas ita scripsisse, ut quid huic uel illi actori potissimum conueniret spectaret: in melicis tamen partibus eandem rationem, quamuis uoluerit, instituere non potuit, cum quemnam chorum

[14] De reliquis poëtis qui per alios fabulas docuerunt (u. Helbig. quaest. scaen. p. 5. 28 sq. 34 sq.) quid statuendum sit, Meyer non persecutus est.

[15] E. c. Schneider, att. Theaterw. p. 131; C F. Hermannus, de distrib. personarum inter histriones in trag. Gr., Marb. 1840, not. 36; id. in '*Jahrbb. f. wiss. Krit.*' 1843, col. 396. 416; Bergk. uit. Soph. p. XXXIV; Bernhardyus, El. litt. Gr. II. 2, p. 106.

accepturus esset fabulam scribens scire non posset. quare uideamus num sententia paullo latiore Istri uerba sint accipienda, ita quidem ut dicant, Sophoclem fabulas suas ita scripsisse, ut eas chori et actorum naturam et ingenia [16] egredi noluerit, aliter atque Aeschylum, qui

ῥήματ' ἂν βόεια δώδεκ' εἶπεν
ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους δείν' ἄττα μορμορωπά,
ἄγνωστα τοῖς θεωμένοις.

Inuenimus igitur, ex eis quae attulimus nihil aperte pugnare contra sortitionem aliquam actorum, praeter id de Cratete de quo dubitari possit. adsunt potius quae eam locum habuisse probabile reddant. simillimum enim est quod cuique choro tibicen [17] et — in puerorum saltem choris — coryphaeo chori magister [18] sorte assignabatur.

Tamen non in eo acquiescamus quod probauimus, contra id quod apud Hesychium legitur: *οἱ ποιηταὶ ἐλάμβανον τρεῖς ὑποκριτὰς κλήρῳ νεμηθέντας* nihil aperte pugnare, sed uideamus, num e loco Hesychii diligenter examinato aliquid de ratione sortitionis effici possit.

Primum monendum est, quod apud Hesychium legitur: *ἂν ὁ νικήσας εἰς τοὐπιὸν ἀκρίτως παρελαμβάνετο* non posse ita intellegi, quasi actor uictoriam adeptus iam sine sortis discrimine admissus esset (ita quidem Geppertus, '*die altgriechische bühne*' p. 207, et Bernhardyus, El. litt. Gr. II, 2, p. 106) [19], cum haec notio a uerbo *ἀκρίτως* prorsus aliena sit; *ἀκρίτως* enim uel *ἄκριτον παραλαμβάνεσθαι* nihil significare potest nisi 'sine iudicio accipi, admitti.' cum igitur histrionis

[16] *φύσεις* ut Eur. El. 369 Kirchh.: *ἔχουσι γὰρ ταραγμὸν αἱ φύσεις βροτῶν.*

[17] Dem. Mid. p. 519, unde etiam rationem sortiendi discimus: sortiebantur de loco, quo quisque chorum eligeret.

[18] Antiphon. *χορ.* p. 768. Cf. Boeckh. Oec. Ath. I. p. 602 (Ed. II).

[19] Peius adhuc Hemsterhusius ad Lucian. Tim. 51: 'quorum poëtarum qui superior discessit in posterum sine sortis discrimine suos sibi actores legebat' et Schneider att. Theaterw. p. 130: '*Von welchen schauspielern der dichter, welcher einmal gesiegt hatte, für die zukunft, ohne sich dem loose unterwerfen zu müssen, sich welche zu wählen pflegte.*' utrumque iam refutavit Meier in '*Allg. lit. zeitung*' 1836 no. 118. col. 325. ipsius autem Meieri errorem de rebus ad tempus Demosthenicum pertinentibus cogitantis refutauit Beerius l. super allato p. 8.

uictoris praemium fuisse dicatur quod in relicum tempus sine iudicio admittebatur, necesse est eos qui nondum uicerunt uel omnino nondum in scaenam prodierunt iudicium subiisse. ita recte locum Hesychii intellexerunt Boeckhius, Oec. Ath. I p. 600, et Beerius '*über die zahl der schauspieler des Aristophanes*' Lips. 1844, p. 7, quorum tamen ille uerba *ὢν ὁ νικήσας εἰς τοὐπιὸν ἀκρίτως παρελαμβάνετο* ulterius non persecutus est, hic in hunc modum detorsit: '*der schauspieler, der diese prüfung bestanden hatte*' *u. s. w.*, quod errori deberi per se patet.

Maximi uero momenti est, quod ei tantum actores, quorum fabulae primas tulerunt (*ὁ νικήσας*), neque etiam qui secundas, quod poëtae satis adhuc honorificum, iudicio repetito supersedere potuerunt. uoluit sine dubio ciuitas quantum potuit curare, ut uires quam optimae poëtis ad fabulas agendas praesto essent. eiusmodi autem iudicium repetitum tum demum rationem habuit, si et certus constitutusque numerus erat actorum quem ciuitas poëtis obtulit, et multi exstiterunt qui inter eos recipi uoluerunt, ita ut sperari posset fore ut meliores quam ei qui nondum uictoriam adepti erant adessent. si autem cogitaveris, quo modo fere examen actorum institui potuerit, concedes, maximam partem eius fuisse generis uideri, ut fabulas recitarent. iam audi quod apud Hesychium legitur: *οἱ ποιηταὶ ἐλάμβανον τρεῖς ὑποκριτὰς κλήρῳ νεμηθέντας ὑ π ο κ ρ ι ν ο μ έ ν ο υ ς τὰ δ ρ ά μ α τ α.* quae extrema uerba admodum certe languent, si nihil aliud ea agere uis, nisi ut uocabulum *ὑποκριτάς* explicent, ubi si accurate agimus e tota uerborum condicione scribendum erat: *ὑ π ο κ ρ ι ν ο υ μ έ ν ο υ ς τὰ δράματα.* conici posse igitur uidetur, illa *ὑποκρινομένους τὰ δράματα* spectare ad rationem *τῆς κρίσεως τῶν ὑποκριτῶν.*

Cum uero in primis Hesychii uerbis *κρίσις* actorum ne uerbo quidem commemoretur, adesse autem uideri possint uerba, quae ad rationem criseos illius spectent, concludendum fere uidetur, initium loci lacunosum esse. quaeri igitur potest, iurene uerba *οἱ ποιηταὶ ἐλάμβανον τρεῖς ὑποκριτὰς κλήρῳ νεμηθέντας* tam arte inter se coniungantur. accedunt duo quae me dubitantem sane faciunt, num in ipsa actorum distributione sors adhibita sit. legitur enim non: 'poëtae sortiebantur tres actores,' sed 'poëtae accipiebant tres acto-

res sorte distributos[20],' quod ita accipi potest ut sit: 'qui sorte iam distributi erant.' alterum est illud, quod in fine *νέμησις* simplici uocabulo *διαίρεσις* explicatur, neque, quod exspectatur si in ipsa distributione sors usu uenit, uerbo *διάλεξις*[21].

Quae si uera est suspitio, difficilis sane est quaestio, qualis ante ipsam distributionem sortis usus fuerit. cogitari potest, sortitionis eam fuisse rationem, ut statutum esset, quinam eorum qui nondum uicerunt primas, qui secundas, qui tertias partes agerent, uel certe quinam unum gregem formarent. tres actores hunc in modum sorte iuncti, qui in certamine uicerunt, in relicum tempus coniuncti manere potuerunt. ita habes quomodo sub ipsis ciuitatis auspiciis non solum magnus numerus bonorum actorum prouenerit sed etiam certi eorum greges exstiterint. utraque re tempus Demosthenicum excellit.

In uerbis Hesychii me quidem iudice misere laceratis sanandis tempore abuti nolo; neque magis inueniri posse uidetur, quot actores quouis festo praesto fuerint, cum nihil cogat, ut cum Beerio, p. 7, statuamus, quot fabulas commissas tot adfuisse actorum greges. ceterum Beerii de sortitione actorum sententia[22] non quidem ut aliorum quas attuli certis argumentis falsa esse demonstrari potest; eam tamen ob caussam non accipienda esse uidetur, quod e uerbis Hesychii uia et ratione examinatis aliud sequi uidetur.

Eis quae ex Hesychio conclusimus pauca tantum addi possunt. Consentaneum uidetur, poëtis alia ratione actoribus uti non licuisse, nisi ita ut gregem acciperent sorte constitutum, non autem ita ut hunc primarum, alterum secun-

[20] Cf. Plat. Legg. VI p. 760 B: *δώδεκα μὲν ἡμῖν ἡ χώρα πᾶσα εἰς δύναμιν ἴσα μόρια νενέμηται.*

[21] Hesych. *διαλήξεις· διαιρέσεις κλήρου.* Cf. Harpocrat. h. u., quem excripsit Suidas.

[22] p. 7: '*Der staat nahm für jedes fest eine den wettkämpfenden dichtern gleiche anzahl von protagonisten, von deuteragonisten und von tritagonisten in sold, für drei dichter z. b. zusammen neun schauspieler, von denen drei als protagonisten u. s. w. gewonnen waren. Von diesen wurden nun je die zu einer rangclasse gehörenden unter die einzelnen dichter durch das loos vertheilt, so dass jeder der letzteren einen protagonisten, einen deuteragonisten und einen tritagonisten erhielt.*'

darum, tertium tertiarum partium esse uellent actorem. acceperunt autem ternos actores a magistratu aliquo, archonte ut uidetur, qui actores similiter inter eos distribuit ut choros. idem mercedem quam actores a poëtis acciperent constituit. ita certe concludi posse uidetur e versibus Anthroporrhaestis, Strattidis fabulae, quos seruauit schol. Eur. Or. 269:

καὶ τῶν μὲν ἄλλων οὐκ ἐμέλησέ μοι μελῶν,
Εὐριπίδου δὲ δρᾶμα δεξιώτατον
διέκναισ' Ὀρέστην, Ἡγέλοχον τὸν Κυντάρου
μισθωσάμενος τὰ πρῶτα τῶν ἐπῶν λέγειν.

quos uersus non de Euripide ipso intellegendos esse, recte monuit Meinekius, fr. com. I p. 224. spectant sine dubio ad archontem qui Euripidi Hegelochum actorem primarium conduxerat [23].

Apparet igitur, rectissime Hesychium *νέμησιν ὑποκριτῶν* uerbo *διαίρεσις* explicare.

[23] Si fides haberi posset eis quae in Vit. Aesch. extr. leguntur: *ἀνθρώπους ὑποκριτὰς εἰσῆγον — — οὓς καὶ τὸ κοινὸν ἔτρεφεν* (p. 123, 14—17 West.), ipsa ciuitas actoribus mercedem soluisse uideri posset. sed cum ultima uitae Aeschyleae pars uni tantum codici minimi pretii (u. West. p. XII), Oxoniensi, et editioni Robortelli debeatur, fides ei habenda est fere nulla, ita ut id quod per se spectatum ueri simile est pluris faciendum esse uideatur.

QVAESTIONES ARISTOTELIAE.

SCRIPSIT

OTTO KORN.

Cum per hos annos de tragicorum graecorum poetarum scholiis quaestiones instituerem quibusque ex fontibus ea hausta essent disquirerem, sensim ab Alexandrinis grammaticis ad antiquiora studia in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis fabulis posita recurri cuiusque generis et auctoritatis illa essent post A. Boeckhium, qui his regionibus primus lucem attulit denuo disquisiui. quorum studiorum fructus partim in dissertatione de publico Aeschyli, Sophoclis, Euripidis fabularum exemplari Lycurgo auctore confecto publici iuris feci, partim his paginis expromam. eodem enim fere tempore quo Lycurgus exemplum tragoediarum quos modo nominaui poetarum integrarum componi iussit Aristoteles eisdem operam dedit atque ut ille scaenae sic hic doctorum hominum usui curauit. cuius generis multa ille protulit: hoc loco in libro cui *διδασκαλίαι* inscripsit pertractando uersati quibus fontibus Aristoteles usus sit enucleare constituimus. quam ad quaestionem priusquam accedimus, pauca quae ad rem scaenicam Atheniensium spectant praemittamus necesse est. neque tamen omnia quae de fabulis ab archonte antequam agerentur examinandis, de actoribus petendis et exercendis, de iudicibus certaminum longe late disputari solent recoquemus, sed solis de praemiis agemus, quibus qui uictores renuntiati erant ornabantur. quorum praemiorum duo dabantur ita diuersa, ut alterius poeta particeps esset, alterius choragus. ac poetae quidem qui uictoriam reportarat pecuniam a senatu tributam esse scholio edocemur, quod ad Arist. ran. u.367 (cl. schol. Ar. Eccl. 102) scriptum est[1], chorago autem

[1] cf. Boeckh. oecon. reipubl. Athen. I p. 258.

qui eo ut chorum et uestiendum et exercendum curaret multum sane ad uictoriam contulit de publico [2] tripodem donatum esse constat quem una cum titulo uictoriae in memoriam honoris accepti uel in templo Apollinis constitueret quod prope theatrum fuit uel in ea uia cui ab hoc decore nomen *τριπόδων* fuit [3]. quorum monumentorum etsi sat multa nobis seruata sunt, at maximo opere dolendum est maiorem partem inscriptionum quae huc pertinent choros cyclicos spectare, longe minorem tragoediarum uel comoediarum choros. neque tamen ineptum uidetur ab illis proficisci ut quae et qualia eis contineantur perspiciatur.

Exempla proponemus tria, primum sumptum ab monumento Lysicratis (cf. Mueller l. l.):

Λυσικράτης Λυσιθείδου, Κικονεὺς ἐχορήγει
Ἀκαμαντὶς παίδων ἐνίκα, Θέων ηὔλει
Λυσιάδης Ἀθηναῖος ἐδίδασκε Εὐαίνετος ἦρχε (Ol. 111, 2)

alterum apud Boeckhium C. J. I p. 346 expressum:

Ἐρεχθηΐς ἀνδρῶν ἐνίκα, Μενετέλης Μένητος Ἀναγυράσιος ἐχορήγει, Ἄρατος ηὔλει, Νικόμαχος .....

tertium apud eundem l. l. p. 347:

Αἰγηΐς ἀνδρῶν ἐνίκα, Εὐαγίδης Κτησίου Φιλαΐδης ἐχορήγει, Λυσιμαχίδης Ἐπιδάμνιος ηὔλει, Χαρίλαος Λοκρὸς ἐδίδασκε, Εὐθύκριτυς ἦρχε.

Singula quae his titulis proferuntur perscrutatus omnia dicta esse concedes, quae de choro cyclico uictore relatu digna erant. habes tribum ex qua choreutae sumpti sunt, habes choragum qui eorum uictui, et exercitationi prouidit, habes tibicinem, cuius ad modos saltarunt, habes chori praeceptorem reique publicae archontem. sed ut chororum cyclicorum inscriptiones omnia quae necessaria esse uidentur complectuntur, sic longe aliter res se habet in eis inscriptioni-

[2] Wachsmuthius sane (antiquit. gr. II. p. 640) ab tribu cuius ciuis fuit chorago tripodem dono datum esse autumat, neque tamen testimonia addidit; rectius Boeckhius publico sumtu factum esse demonstrauit (l. l. I p. 229 cll. II p. 229 ed. I p. 95 ed. II) cui sententiae fauent quae Demosthenes dicit (c. Mid. § 6) *ἐπειδὴ δὲ τούς τε κριτὰς διαφθείραντος τούτου καὶ διὰ τοῦτο τῆς φυλῆς ἀδίκως ἀφαιρεθείσης τὸν τρίποδα κ. τ. λ.* quae Wachsmuthium secutus interpretari uix poteris.

[3] cf. Schoemann. ad Isaeum p. 311. Boeckh. C. J. I. p. 342 sq. O. Mueller in Encyclop. Ersch. et Gruber. VI p. 235 sq. Stuart II p. VII.

bus, quae a choragis tragicis uel comicis positae sunt. spectant autem huc primum fragmentum Fourmontianum felicissime sic a Boeckhio (C. J. I n. 219) restitutum . . . . χορηγῶν νικήσας ἀνέθηκε (κυκλίῳ) χορῷ καὶ κωμῳδοῖς tum fragmentum breuissimum (C. J. I. n. 228) Ῥαμνούσιος κωμῳδοῖς, fragmentum tertium publici iuris factum ab Rangabeo (Antiquités hellén. II p. 709 n. 991):

ΙΣ ΥΤΟ
ΥΠΟΚ Ρ ΙΝΟ
ΑΚΑΙΟΥΔΕΙ
ΑΓΩ ΝΑΤΟΝ
Ε Ι Α Γ ΑΘΟ
Π Ι Ι ΛΗ

inscriptio denique edita in Ἐφημ. Ἑλλην. 1853. Νοέμβριος καὶ Δεκέμβριος p. 1012 n. 1839 (cum supplementis Pittakis)

Οἵδε τῶν ἀνδρῶ)ν κῶμοι ἦσαν· ποιηταί.
Φανοκλείδης ἐχορήγει Πανδιονὶς
Μάγνης ἐδίδασκεν Κλεαίνετος
Τραγῳδιῶν Κωμῳδιῶν
Περικλῆς Χολαρ(γεὺς) ἐχορή(γει)
Αἴσχυλος ἐδίδασκεν.

At fausta fortuna accidit ut his testimoniis aliud addere possimus. haec enim narrat Plutarchus Them. 5. Ἐνίκησε δὲ καὶ χορηγῶν τραγῳδοῖς μεγάλην ἤδη τότε σπουδὴν καὶ φιλοτιμίαν ἀγῶνος ἔχοντος καὶ πίνακα τῆς νίκης ἀνέθηκε τοιαύτην ἐπιγραφὴν ἔχοντα· Θεμιστοκλῆς Φρεάῤῥιος ἐχορήγει, Φρύνιχος ἐδίδασκεν, Ἀδείμαντος ἦρχεν. pauca haec quidem sunt nec magni fructus: nam ne hae quidem inscriptiones alia praebent quam quae in ceteris titulis agonisticis perscripta fuisse inuenimus [4].

Vnde alia intenditur quaestio si quae ex huius generis monumentis pernoscebantur cum eis confers, quae in argumentis ad scaenicos poetas graecos leguntur. si quidem enim constat omnino ea ab Aristophane Byzantio pendere [5], illum autem ea quae de tempore quo fabulae actae sunt

[4] Plura de his titulis u. ap. Rankium comm. de Aristoph. uita p. I. p. CXLI sq.

[5] cf. Schneidewin. de hypothes. dram. gr. Aristophani Byz. uindicandis. Goett. 1853.

pluraque alia ex Aristotelis libro cui *διδασκαλίαι* nomen fuit deprompsisse omnes consentiunt [6], id praecipue exsequendum esse patet quibus fontibus Aristoteles ea debeat quae de numero poetarum certantium eorumque fabulis, de distributione palmarum ac histrionibus (argum. Arist. Pac. I *ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος*) protulit. quos si circumspicimus, primo se praebent quos modo tractauimus, tituli tripodum, unde quo anno quoue chorago poeta aliquis fabula uicerat manifestum fuit. alterum autem genus monumentorum Aristotelis usui praecipue idoneum, A. Boeckhius sibi inuenisse uisus est in inscriptione quam ex schedis Fourmontianis edidit in C. J. I n. 231 quamque hic repetemus cum Boeckhii supplementis [7].

τε . . . ι] ιι στιδε	*ειρ*
ὑπε Ἀριστόμ]αχος	*υπε*
Ἀντιφάν]ης: πεμ: Ἀνασωζο[μένοις]	*υπο*
ὑπε: Ἀντ]ιφάνης	*επι*
ώνυμος ἐνίκα	*αγα*
ἐπὶ Δι]οτίμου Σιμύλος [πρω:	*υπι*
σίαι: ὑπε Ἀριστόμαχος.	*επιαρχη*
Διόδωρος: δευ: Νεκρῶι	*ηρα*
ὑπε Ἀριστόμαχος	*θηση*
Διόδωρος τρι Μαινομένω[ι]	*ιυπο*
ὑ]πε Κηφίσιος	*τυροι*
νικ . . . . ης τε: Ποήτει	*υπε: λυσικρατ*
ὑπε . . . .] ης	*Καλλιστρατος*
	Αμφιλοχωι Ιξιο
	υπε: Καλλιππι
	ο: Καλλιππιι
	ντι

Ac Boeckhium quidem qui solito acumine omnia quae huc pertinent in interpretatione huius inscriptionis exposuit omnes quod sciam qui occasione data de Aristotelis didascalico libro retulerunt secuti sunt. nec sunt quae exceptis singulis quaestionibus de quibus certo diiudicari uix unquam poterit contra eum moneas; minus firmum fundamentum in quo nititur se habere uidetur. quod si Boeckhius antiquis-

[6] cf. Boeckh. C. J. I p. 350.

[7] Boeckh. C. J. I p. 343 sq. Ranke l. l. p. CL sq. I. Richter Ar. Vesp. praef. p. 11 sq.

simum esse censuit exculptamque eodem tempore esse contendit inscriptionem quo fabulae quas recenset in scaenam datae sunt, at multa sunt quibus ut eiusdem esse eam generis putare cogamur cuius sunt inscriptiones a Boeckhio C. J. I n. 229 et 230 editae quas ille tabulas esse euicit [8] in usum eruditorum Romanorum a doctis hominibus computatas.

Haec igitur erit disputationis uia ut primum num genuina sit inscriptio didascalica quae est in C. J. I n. 231 numque genus quoddam monumentorum didascalicorum unquam exstiterit inuestigemus, tum unde Aristoteles hauserit demonstare studeamus. initium igitur inscriptionis huius tractandae sumemus ab forma externa. quam si consideras id primum reputandum uidetur quid sit quod biennii uel quod, cum quota nobis seruata sit inscriptionis pars non appareat facile quis suspicetur, complurium etiam annorum certaminum uictoriae in tabula descriptae sint. quodsi enim eos qui hanc inscriptionem genuinam habent publice huius generis monumenta posita esse iure affirmare largimur, non statim post certamina peracta sed compluribus annis post in honorem uictorum tabulas constitutas esse miramur. quod ne quis saepe numero in inscriptionibus fieri moneat, praecipue in eis quibus de pecuniae in impensas publicas adhibitae usu refertur, harum longe alia est ratio. ea enim quae publice consumta erant priusquam in tabulas referrentur in contione populi promulgata omnibus nota erant nec necessarium ut quae probata erant statim consignarentur; at uictoriae poeticae hoc anno reportatae memoria insequentis anni certaminibus obscuratur nisi iam certo fixa est. quamquam hoc quidem premere nolumus, siquidem longe maiora instant. primum autem quaeritur cuius sumtu huius generis monumenta constituta sint. quod uel tribus iussu uel reipublicae fieri potuit. sed ne a tribu monumenta qualia didascalica dicunt statuta esse sumamus, duo impediunt, prius quod in inscriptionibus tripodum nomina tribuum signata esse uidemus, alterum quod si nomina uictorum qui ex ea prodierant literis mandanda curauit, alia id ratione factum esse constat ac in eo monumento quod tractamus (cf. Rangabé. Antiq. hellén. II p. 699 n. 971. p. 703 n. 981).

Non est enim quod aliter poetarum uictorias in tabulas

[8] C. J. I p. 351 B.

relatas esse putemus, quam eorum qui choris cyclicis uictorias reportarant. — neque reipublicae sumtu monumentum ullum quo poetae honorarentur positum est. nam ne promam tripode dato pecuniaque satis superque ab ea factum esse, ei qui reipublicae hoc fuisse officium contendunt condicionem poetarum qualis fuit Athenis falsam sibi imaginari uidentur. qui si tanti habiti essent, ut in eorum solorum honorem monumenta ponerentur — neque uili pendendum est in inscriptione de qua agimus ne choragum quidem nominatum esse, id quod cum quae praestitit publico usui seruirent, in publico monumento me iudice non magis fieri potuit quam e. gr. archontis nomen omitteretur —, qui tandem euenit ut in inscriptionibus tripodum non tam poetarum quam chori praeceptorum nomina proscriberentur? quod si eis temporibus usurpatum esse perspexeris quibus utriusque personae munera coniuncta erant [9], attamen cum desiissent poetae fabulas suas choreutas docere non tam eos in tabulis signatos esse qui poemata composuerant quam qui chorum exercuerant [10], cum hac sententia minus quadrat.

Iam uero cum constet in monumento de quo disputamus, complurium annorum uictorias compositas esse, cum quotannis tabula agonistica proponi deberet, desiderari nomen choragi, quod in inscriptione huius generis, qualis hanc inscriptionem solam seruatam esse existumant reipublicae sumtu posita omitti non debuit, non tanti aestimatos esse ab Atheniensibus poetas ut in eorum solorum honorem monumenta constituerentur, accedit denique quod longae disputationis non eget quoniam eis quae breui ante de poetis chororum praeceptoribus exposuimus abunde illustratum est, ut nomina fabularum publice memoriae traderentur, Athenienses non ita anxie curasse uideri, ut ea sola de caussa propria fieri iuberent monumenta, quippe qui in tabulis agonisticis tripodum quae aptissimum huic memoriae praebuerunt locum, addere neglegerent. sed quod summum est seruata nobis sunt monumenta quae maximo iure didascalica appellaueris quaeque etsi posteriore tempore conscripta sunt quam ea tabula quae nostrae disputationi subiecta est exsculpta esse putatur, satis firma nobis praebent

[9] Helbig quaestt. scaen. p. 2.
[10] Helbig l. l. p. 8sq.

argumenta (C. J. I n. 1583. 1584. cll. Boeckh. oec. publ. II p. 355 sq. cf. Rangabé. Antiq. hellén. II p. 691. 692). ea quae in nostram cadunt quaestionem infra excudenda curauimus [11]. ac uidemus quidem id comprobari quod supra significauimus, nihil his inscriptionibus contineri praeter nomina uictorum, omissis ceteris omnibus quae sane ut uictores coronam acciperent effecerunt sed minoris uisa sunt momenti nominibus scilicet fabularum, quippe quod non quod eae bene et pulchre elaboratae erant poetae laudem nacti sunt sed quod egregie doctae erant. quod si iam eo tempore factum esse reputamus, quo si unquam fabulae propter singularem qua tractabant argumentum artem aestimabantur, priore aetate minorem conseruandis poematum titulis operam datam esse facile concesseris.

Huc usque reseruare maluimus argumenta quae cum ceteris composita non exigui erunt ponderis quibusque neque a scriptoribus huiusmodi monumenta qualia exstitisse Boeckhius contendit unquam memorari continetur neque id quod non minoris aestimauerim in theatro Bacchi nuper Athenis reperto eius generis tabularum ullum inuentum esse exemplum, cum tamen hoc loco plurima monumenta talia si fuissent posita fuisse arbitreris.

Quae cum ita sint fieri non potest quin et inscriptionem non tam eo tempore quo fabulae quas recenset doctae sunt exsculptam, quam multo posteriore tempore ab homi-

[11] C. J. I n. 1583.

Τραγῳδός
Ἱπποκράτης Ἀριστομένους Ῥόδιος
Κωμῳδός
Καλλίστρατος Ἐξακέστου Θηβαῖος
Ποιητὴς Σατύρων
Ἀμινίας Δημοκλέους Θηβαῖος
Ὑποκριτής
Δωρόθεος Δωροθέτου Ταραντῖνος
Ποιητὴς τραγῳδιῶν
Σοφοκλῆς Σοφοκλέους Ἀθηναῖος
Ὑποκριτής
Καβίριχος Θεοδώρου Θηβαῖος
Ποιητὴς κωμῳδιῶν
Ἀλέξανδρος Ἀρίστωνος Ἀθηναῖος
Ὑποκριτής
Ἄτταλος Ἀττάλου Ἀθηναῖος

C. J. I n. 1584.

Τραγῳδὸς παλαιᾶς τραγῳδίας
Ἀπολλώνιος Ἀπολλωνίου Ἀσπένδιος
Ποιητὴς καινῆς κωμῳδίας
Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος
Ὑποκριτὴς καινῆς κωμῳδίας
Ἀρτέμων Ἀρτέμωνος Ἀθηναῖος
Ὑποκριτὴς καινῆς τραγῳδίας
Ἀγαθήμερος Πυθοκλέους Ἀθηναῖος.

nibus eruditis compositam esse contendamus, et totum genus monumentorum, cuius exemplum esse credita est de memoria doctorum uirorum exulare iubeamus.

Quae si recte disputasse uidemur ad alteram quaestionis partem transire licet qua unde tandem Aristoteles quae in eius *διδασκαλιῶν* libris de fabulis singulorum poetarum deque primis alteris tertiis praemiis dicta erant hauserit illustremus. id enim apparet, praeter tripodum inscriptiones alios ei fontes praesto fuisse. haec reputantibus nobis inciderunt in memoriam quae Maduigius (opusc. I p. 90) de Accii poetae Romani didascalicon fontibus acute et subtiliter demonstrauit. cum enim Romae, quae erat theatri Romani condicio nulla essent monumenta quibus quae quotque fabulae singulis diebus festis in scaenam datae essent referretur, ueri simillime Maduigius ex actis publicis magistratuum quorum ludorum administratio fuit Accium quae memoratu digna essent excerpsisse coniecit. quibus ut poetam, ludorum magistrum, tibicinem quippe qui a magistratu pecunias acciperent nominatos esse existumaris, sic eadem in actis Atheniensibus lecta esse iure quodam concluseris. poetis enim pecuniam de publico datam esse supra adnotauimus, histriones abstulisse debita multis constat testimoniis [12], omnia autem ea in actis perscripta fuisse non est quod demonstretur [13]. his autem in actis singulas fabulas enumeratas esse contenderim, pro quibus poetae pretia soluerunt facileque comparatis praemiis qui poetae primo quique altero ac tertio loco uictorias reportassent enucleari potuit.

[12] Boeckh. oecon. publ. I p. 169 sq. ed. II.
[13] Id. l. l. p. 251. ed. II.

DE NONNVLLIS EVRIPIDIS LOCIS E SCHOLIIS CORRIGENDIS.

SCRIPSIT

TH. BARTHOLD.

Scholiis Euripideis, quae a G. Dindorfio nuper edita sunt e codd. Marc. 471 Vatic. 909 Paris. 2713, paullo largiora inesse, quam uolgo creditur, ueterum commentariorum fragmenta, effecisse mihi uideor quaestione de eorum fontibus et compositione instituta [1]. cuius sententiae auctoritas nimirum augebitur, si nouis exemplis comprobare contigerit, corrupta poetae uerba ex scholiis haud raro posse corrigi. multa enim hac uia iam correcta esse apparatus Kirchhoffianus obiter inspicientem docebit.

Summum autem id efficere studui, scholiis Euripideis contineri duos commentarios continuos ex eodem fonte (Alexandro Cotyacensi?) utrumque deriuatos et ab eodem demum anonymo, qui criticam nouem priorum fabularum recensionem instituerit, conglutinatos. quod si uerum sit, imprimis ea in scholiis antiqua habenda esse dixi, quibus eadem poetae uerba in eundem modum bis explicentur. atque confirmatur haec sententia, cum casu euenerit, ut ex talibus scholiorum paribus nonnulli loci sat certo corrigi possint. de his igitur primum disputabo, subiungam alios, quibus ex singulis scholiis auxilium afferri possit.

Phoen. 1009 [2].

Μὰ τὸν μετ᾽ ἄστρων Ζῆν᾽ Ἄρη τε φοίνιον.
μὰ τὸν [A] E b c C, cum Plut. de aud. poett. p. 23. — *οὐ μὰ*

[1] De scholiorum in Euripidem ueterum fontib. Bonn. 1864.

[2] Numeri sunt editionis Kirchhoffianae. eiusdem utor codicum signis etiam in citandis scholiis. scholiorum formam eam praebeo, quam Dindorfius expressit, non commemorata libr. discrepantia, nisi quae uideretur alicuius momenti esse.

τὸν BF— οὐ τὸν recentiorum pessimi. μὰ τὸν genuina lectio est consensu editorum probata. Schol. τὸν ἥλιόν φησι καὶ τὸν Ἄρην τὸν τοῦ ἐμοῦ φόνου αἴτιον. — Aa. τὸν ἥλιόν φασι (leg. φησι) δεσπότην τῶν ἄστρων, τὸν ὄντα ἐν τοῖς ἄστροις θεόν, τὸν αἴτιον τοῦ ἐμοῦ φόνου. A. Aug. in A uersui suprascriptum est scholium secundum, in quo exciderunt quaedam ante uu. τὸν αἴτιον τοῦ ἐμοῦ φόνου, quibus explicantur uu. Ἄρη τε φοίνιον.

Apparet Iouis nomen hoc loco non habuisse scholiastas, qui explicent: τὸν ἥλιόν φησι, immo certum dei nomen eos omnino non legisse consequitur, cum addant, de quo numine cogitandum sit.

Interpretis secundi ipsis uerbis, τὸν ὄντα ἐν τοῖς ἄστροις *ΘΕΟΝ*, ducimur ad lectionem

μὰ τὸν μετ' ἄστρων θεὸν

quam genuinam habeo, nam Iouem dici in astris habitantem non memini usquam me legere. sed Phoebi conferas simillimam allocutionem u. 1:

ὦ τὴν ἐν ἄστροις οὐρανοῦ τέμνων ὁδὸν —
Ἥλιε.

simillima pronuntiatio uerborum θεὸν et Ζῆν' corruptionis caussa fuit.

Andr. 765—769.

Κρεῖσσον δὲ νίκαν μὴ κακόδοξον ἔχειν ἢ
ξὺν φθόνῳ σφάλλειν δυνάμει τε δίκαν·
ἡδὺ μὲν γὰρ αὐτίκα τοῦτο βροτοῖσιν
ἐν δὲ χρόνῳ τελέθει ξη-
ρὸν καὶ ονείδεσιν είκητε δόμων.

ὀνείδεσι νείκητε Ac. ὀνείδεσιν εἴκετε a. pr. m. ab (quod eodem redit cum l. codd. Ac.) ὀνείδεσιν ἔγκειται ceteri.

Lectionem ultimam cum aliis amplectitur Nauckius, sed mihi uidetur a sententia parum commendari. cur enim chorus, cum uictoriam iniuria partam dicat ὀνείδεσιν ἔγκεισθαι δόμον, omnino excitat cogitationem aliarum macularum, quae praeter illam domibus inhaerere possint? nonne ipse uituperationis suae uim imprudenter minuit, cum uitium illud unum ex aliis esse canat?

Iure igitur Kirchhoffius reiecta hac lectione, quae uideatur correctura esse, genuinam scripturam fortasse ex cor-

rupta lectione optimi codicis A (abc) erui posse censet. ipse coniecturam non tentauit, quia ne strophici quidem uersus uerba num integra sint satis constet.

Sane res nimis incerta esset absque externis adiumentis; tamen proficiscar ab ipso uersu antistrophico, qui uidetur corruptissimus esse, cum scholia suppeditent emendationem facillimam.

Schol. *καὶ τῷ μὲν χρόνῳ αὐτὸ μαραίνεται, τουτέστιν ἡ ἐπ' αὐτῷ ἡδονή.* ABa. *τὸ δὲ ἐξ αὐτοῦ ὄνειδος τοῖς οἴκοις περιμένει.* A. *ἄλλως· ἡ δὲ ἐκ τοιαύτης νίκης ἡδονὴ ἐπ' ὀλίγον χρόνον φθάνουσα αἰώνιον αἰσχύνην καὶ ἀνεξάλειπτον ὄνειδος τοῖς κτησαμένοις αὐτὴν προστρίβεται.* — AB. uterque scholiasta exprimit eam sententiam, quae simplicissima est et aptissima, *τὸ δυνάμει σφάλλειν δίκαν ὄνειδός ἐστι δόμων*, neque igitur agnoscunt pluralem numerum *ὀνείδεσιν.* sed uterque auget sententiam addita diuturnitatis significatione (*ὄνειδος περιμένει. αἰώνιον αἰσχύνην καὶ ἀνεξάλειπτον ὄνειδος προστρίβεται*), ut eos talis notionis uerbum inter poetae uerba legisse perquam probabile sit. ne multa. corrupta scriptura cod. A (abc)

ONEIΔECI NEIKHTE facillime corrigitur, si *ONEIΔOC̈ ΛEIKEITΛI* scribitur ex scholiorum auctoritate.

Quae correctura si uera est, apparet in stropha recipiendam esse L. Dindorfii coniecturam ab Hermanno probatam *κηρυσσομένοισι*, pro librorum scriptura *κηρυσσομένων*, (*κηρυσσομένοις E*), quam nisi recipias, turbantur numeri, qui tales sunt:

– | – ⏑ – – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ – – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓
– ⏑ – ⏓ | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ ⏑ – [⏑] ⏑ – – | – ⏑ –
– – – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– ⏑ – – | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –
– ⏑ – ⏑ – –

Orest. 1106.

Pyladi qui proponit consilium necandae Helenae, ut

Menelaus puniatur, respondet Orestes, se promptum quidem esse ad facinus, sed quomodo id effici possit, quaerit.

Πῶς; τὸ γὰρ ἕτοιμον ἔστιν, εἴ γ' ἔσται καλῶς;

ferri posse hunc uersum non nego, sed concedetur satis artificiose expressam esse sententiam simplicissimam ac desiderari disertam personae commemorationem, quae si expressa esset, non minus esset uoce extollenda quam u. *ἕτοιμον*. quare si non peruersitas tantum sententiae, sed etiam difficultas interdum iusta coniecturae caussa habetur, uersum ita corrigendum proposuerim:

Πῶς; τὸ γὰρ ἐμόν γ' ἕτοιμον, εἴ γ' ἔσται καλῶς

quocum cf. Bacch. 834: *ἔξεστι. πάντῃ τό γ' ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα.* cogita uersum, postquam propter litterarum similitudinem ante uerbum *ΕΤΟΙΜΟΝ* interciderint uerba: *Ε ΜΟΝΓ*, falso suppletum esse inserto *ἔστι*.

Confirmatur denique corruptelae suspitio scholiis, quae ex quinque interpretationibus conflata sunt:

Πῶς; τὸ γὰρ ἕτοιμόν ἐστιν: τὸ ἑξῆς, εἰ γάρ, φησί, τοῦτο ἕτοιμον καὶ εὔκολον τὸ φονεῦσαι τὴν Ἑλένην, καλῶς ἂν ἡμῖν ἔσται. | *ἀλλὰ τὸ ἐπ' ἐμοὶ ἕτοιμόν ἐστι· τὸ γὰρ ἕτοιμον καλόν ἐστιν.* | *ὁ δὲ λόγος τοιοῦτός ἐστι· τὸ γὰρ ἑτοίμως καὶ εὐχερῶς τὴν Ἑλένην κατεργάσασθαι, καλόν ἐστιν, εἰ ὅλως δυνατὸν τοῦτο πρᾶξαι.* | A. B a Aug.

Ἄλλως. ἕτοιμος γὰρ εἰς τοῦτό εἰμι, εἴγε μὴ καταληφθήσομαι. ἀλλὰ τίνι τρόπῳ, φησίν, ἀνέλωμεν; | *ἕτοιμος γάρ εἰμι πρὸς τὸ σφάξαι, εἰ ἔστιν εὐμαρὲς τὸ κτεῖναι, τουτέστιν, εἰ μὴ καταληφθήσομαι.* A B a.

Tres primi interpretes aperte laborant in uersu corrupto explicando, (medius primam sententiae partem ex coniectura puto assequitur), sed quartus et quintus sententiam unice aptam tam simpliciter pronuntiant, ut eos neque corruptas trium priorum interpretum lectiones secutos esse neque artificiosum quem nunc habemus uersum legisse probabile sit; immo optime potest eorum interpretatio ei quam ego proposui uersus formae adaptari. quartam igitur et quintam interpretationem puto antiquas esse et ex duobus quos statui commentariis continuis deriuatas, quod comprobatur eorundem uerborum *εἰ μὴ καταληφθήσομαι* iteratione et uniuersa interpretandi similitudine, tres priores explicationes corrupto demum uersui recentes adscriptae sunt.

Tro. 1118.[1]

Οὐ θᾶσσον οὕνεκ' ἢ χάριν μονῆς ἔχων φροῦδος.

Seidler: 'uidetur hoc dicere: citius abiit, quam abiturus fuisset, si iucunditatis aliquid in morando relicum fuisset. magis perspicuum esset, si poeta pro ἢ scripsisset οὐ.'

Mihi si edendus esset poeta, non dubitarem οὐ recipere, non enim credo Euripidem in sententia simplicissima, reiecta simplici dicendi forma, quae ultro se offerat, maluisse locutionem contortissimam, quam dubito num audientium quisquam statim recte intellecturus fuisset. librario fraudi fuit praecedens comparatiuus itaque eodem errore locus corruptus est atque Soph. Antig. 1090 τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν ἢ νῦν φέρει quod summo iure Brunckius mutauit in ὧν νῦν φέρει, probatus a Dindorfio.

Hermannum miror, qui hoc loco ἔχειν scribendum esse putat pro ἔχων, nam si corrigendus est uersus, cur in locum tortuosae dictionis substituere uix minus tortuosam, cum praesto sit medela haud minus facilis et a sententia multo commendatior?

Ac negationem uidentur re uera legisse scholiastae, qui ita locum explicant: θᾶσσον τοῦ δέοντος ἐξώρμησε καὶ οὐκ ἐπεμέρισέ τινα τῇ μονῇ, χάριν, | οὔτε γὰρ ἡγήσατο κεχαρισμένον ἑαυτῷ εἶναι τὸ μεῖναι ἀλλ' ἀνήχθη. dixerit quispiam scholiastas uniuersam tantum loci sententiam exprimere, sed imprimis Troadum interpretes poetae uerba accurate explicant neque puto tam planam et simplicem explicationem propositiros fuisse, qui artificiosam illam uerborum structuram sequerentur.

---

[1] Conieturarum, quas propositurus sum, pleraeque petitae sunt ex scholiis Troadum quae si cui cupidius excussisse uidear, meminerit haud paucas optimas lectiones iam ab aliis prolatas esse imprimis ex his scholiis, quae ut uerborum plerumque parcissima sunt, ita poetae uerba quam maxime premunt et accuratissime exprimunt. conferas mihi hos Troadum locos ex scholiis iam correctos: 300: αὐτῶν pro αὐτῶν. — 308: φέρε pro φέρω — 516: ἐπικήδειον pro ἐπιτήδειον — 540: λίνοιο pro λίνοισι — 580: οἴμοι pro ἰώ μοί μοι. — 804: Ἀθάνα pro Ἀθάνας. — 845: γαίας pro γαῖαν — 1053: scholiis confirmatur Herm. coni. αἰσχίονὲς pro ἐχθίονες. — 1101: θάλαμον non legit schol. — 1297: κτυποῦσα pro κρύπτουσα.

Alios quosdam locos e binis scholiis corrigendos, de quibus mihi nondum satis constat, omittam et iam de nonnullis locis agam, quibus ex singulis scholiis auxilium afferri possit.

Orest. 1270, 1.

ἄφοβος ἔχε. κενὸς, ὦ φίλα
στίβος, ὃν οὐ δοκεῖς

Schol. στίβος. ἀρσενικῶς ὁ στίβος εἶπεν. Aa. quid, quaeso, sibi uolt haec obseruatio, cum στίβος nunquam non ἀρσενικῶς dicatur? sed conferas u. 1251, 2: στῆθ' αἱ μὲν ὑμῶν τόνδ' ἁμαξήρη τρίβον, αἱ δ' ἐνθάδ' ἄλλον οἶμον εἰς φρούραν δόμων (τήνδ' a m. 2. F et fort. C.) adscriptum est in Florr. codd. hoc scholium: τρίβον: ὁ τρίβος καὶ ὁ οἶμος Ἰωνικῶς. — (Ἀττικῶς Gu., quod miror receptum esse a Dindorfio; Attici enim dicebant ἡ τρίβος et ἡ οἶμος). animaduerterunt igitur grammatici Euripidem contra Atticorum morem dixisse ὁ τρίβος et ὁ οἶμος. neque aliam puto sententiam fuisse scholii u. 1270, quod nisi egregie fallor ita restituendum est:

τρίβος: τὸ χ ὅτι τρίβος ἀρσενικῶς εἶπεν.

itaque scholii uestigia secutus puto scribendum esse

κενὸς ὦ φίλα

etiam hoc loco: τρίβος, ὃν οὐ δοκεῖς.

Tetigi rem, quae mihi uidetur commemoratione digna esse. obseruaui enim haud raro in poetis scaenicis locutionem aliquam, quae ab Alexandrinis grammaticis tanquam singularis signo esset notata, a posterioribus grammaticis in usitatam esse commutatam itaque et notam illam et antiquam lectionem esse oblitteratam. quod si uerum est, illas notas interdum corrumpendi caussas fuisse, nobis inuicem ex scholiis eruenda sunt notarum uestigia, si forte antiquae lectiones inde redintegrari possint. quam sententiam alibi pluribus exemplis defendam, nunc perpauca afferre satis sit.

Schol. Phoen. 52. καὶ σκῆπτρ' ἔπαθλα: παρ' οὐδενὶ κεῖται τὸ ἔπαθλα ἢ μόνῳ τῷ Εὐριπίδῃ. ὅθεν μεταγράφουσί τινες· [‘καὶ σκῆπτρα χώρας ἆθλα τῆσδε λαμβάνει’] ut bene haec suppleuit Hermannus. uocem ἔπαθλα τῷ χ notatam fuisse nullum est dubium et ob ipsam singularitatem eam mutatam fuisse diserte testatur scholiasta. obtinuit tamen in libris antiqua lectio.

Arist. ran. 575. *τὰς ψιάθους: ἐν δὲ τῷ Καλλιστράτῳ* (leg. — του) *γέγραπται τοὺς ψιάθους καὶ ὅτι σεσημείωται τοῦτο ὅτι ἀρσενικῶς εἶπε.* nimirum Aristophanes notauerat masculinum uerbi genus, sed scholiasta hanc lectionem non cognouerat nisi ex Callistrati commentario, cum post Aristophanem libros inuaserat correctura l. *τὰς ψιάθους.*

Eur. Andr. 603: *τὸν σὸν λιποῦσα φίλιον: τὸ χ̄ ὅτι τὸν φίλιον εἶπεν* A. Kirchhoff. '*γρ. τὸ σὸν* a et sic C.'

In his exemplis cum corrumpendi ratio manifesta sit antiqua lectio non oblitterata est, quod uidemus factum esse loco Orest. illi u. simillimo:

Soph. Phil. 417: *τὸ χ̄ ὅτι πάλιν Λαερτίου, κτητικὸν ἀντὶ τοῦ πρωτοτύπου Λαέρτου.* ex u. enim *πάλιν* iure suspicatus est Osannus anecd. Rom. 70, etiam in u. 366 quondam *Λαερτίου* scriptum fuisse, ubi nunc libri praeter Triclinium *Λαέρτου*. ut hic, sic in Oreste casu factum est, ut libri modo antiquam lectionem seruent (u. 1251. 1258) modo recentem et ex correctura inuectam praebeant.

Tro. 99.

ἄνα δύσδαιμον πεδόθεν κεφαλὰ,
ἐπάειρε δέρην.

κεφαλά Bc *κεφαλήν* (AB).

Schol. *ἄνα δυσδαίμων: πρὸς ἑαυτὴν ταῦτα ἡ Ἑκάβη λέγει, ἀνάστηθι τὴν κεφαλήν σου, ὦ Ἑκάβη. | ὁ δὲ λόγος, ἄνα δυσδαίμων, ὦ ἐκ θεῶν δυσδαίμων κεφαλὴ γεγονυῖα, ἀνάστηθι. ἡ δὲ πεδόθεν κεφαλὴ ἐμπαθεστέρα ἐστὶ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις οἰκείως ἔχουσα. ἡ γὰρ Ἑκάβη ἔρριψεν ἑαυτὴν διὰ τὰς συμφορὰς ἐπὶ τοῦ ἐδάφους καὶ τούτῳ οἰκείως ἐπέλεξε τὸ 'ἐπάειρε δέρην', ὡς πεπτωκυίας αὐτῆς καὶ κεκλιμένης ἐπὶ τοῦ ἐδάφους. καὶ τὸν Πρίαμον ὁμοίως κείμενον πρὶν συνέστησεν οὕτως 'πρὸς δὲ κρηπίδων βάθροις πέπτωκε Πρίαμος.' ὥστε εἰκὸς διὰ τοιαῦτα τὴν Ἑκάβην τὰς ἐπιτηδείους καθέδρας καταλιποῦσαν ἐπὶ τοῦ ἐδάφους κεῖσθαι.*

Duplicem interpretem etiam in hoc scholio discernas. prior, cuius uerba sunt: '*πρὸς ἑαυτὴν ταῦτα ἡ Ἑκάβη λέγει, ἀνάστηθι τὴν κεφαλήν σου, ὦ Ἑκάβη*' amplectitur lectionem deteriorum codd. *κεφαλὴν*, alter meliorum lectionem *κεφαλή* sequitur. sed hic ipse duplicem nouit lectionem (*ἡ δὲ πεδόθεν*

κεφαλὴ ἐμπαθεστέρα). apparet alteram eum non dixisse lectionem κεφαλήν, nam bis explicat u. κεφαλή; quaerendum igitur est, quam tertiam lectionem habuerit. neque dubium mihi est consideranti uerba: ὦ ἐκ θεῶν δυσδαίμων κεφαλή, scholium ita restituendum esse:

[γρ.] ἄνα δυσδαίμων [θεόθεν] κεφάλη ὁ δὲ λόγος, ὦ ἐκ θεῶν κτλ.

Atque hanc ipsam lectionem genuinam habeo, quam nemo negabit altera multo exquisitiorem esse. certe facilius credas aliquem πεδόθεν coniecisse pro θεόθεν quam θεόθεν pro πεδόθεν, immo argumenta, quibus scholiasta defendit lectionem πεδόθεν, uidentur eadem esse, quibus commotus aliquis lectionem πεδόθεν excogitauit. Pleonasmus uerborum θεόθεν δυσδαίμων defenditur loco Soph. O. R. 1301

τίς ὁ πηδήσας
μείζονα δαίμων τῶν μακίστων
πρὸς σῇ δυσδαίμονι μοίρᾳ;

quae in hanc simpliciorem formam possunt redigi: τίς δαίμων σοι δυσδαίμονι ἐνεπήδησεν siue τίς δαίμων σε δυσδαίμονα ἐποίησεν. neque hoc omittendum est, quod Euripides uidetur delectari forma θεόθεν, quae recurrit Hec. 589. Or. 157. 347. 966. Phoen. 258. Med. 1259. Hipp. 1107. 1337. Ion. 521. Herc. f. 909. (Rhes. 199.). denique testimonio scholiastae, qui meliorem scripturam θεόθεν nobis solus seruauit, augetur etiam fides lectionis κεφαλά, quam miror, quamuis etiam a libris praestantioribus praebeatur, a Nauckio esse abiectam. ἄνα cum ex ἀνάστα, ἄνστα factum sit, accusatiuus non habet unde pendeat. neque nimis molesta est mutatio subiecti, — nam ad ἐπάειρε supplendum est ὦ Ἑκάβη, non ὦ κεφαλή — cum Hecuba nimirum haec prima uerba pronuntiet abrupta uoce et tempore inter singula orationis membra interiecto.

Tro. 202.

Οὐκ Ἰδαίοις ἱστοῖς κερκίδα
δινεύουσ᾽ ἐξαλλάξω.

Schol. οὐχ ὡς πρότερον ᾖδον, ἐν τοῖς ἱστοῖς δονεύουσα καὶ στρέφουσα τὴν κερκίδα. (δινεύουσα corr. Dind.).

Apparet scholiastam pro ἐξαλλάξω legisse uerbum canendi, quod, etiamsi illud quoque rectam praebet sententiam,

praeferendum esset, cum imaginem lepide exornaret. coniectura satis certa non in promptu est, sed cogites de uerbis ἐξαλαλάξω siue ἐξολολύξω, quae in significando cantu hilari conectuntur.

Soph. Trach. 205: ἀνολολύξετε δόμοις
ἐφεστίοις ἀλαλαῖς.

(sic Laur.) ἀνολολύξω, quod saepius lugentis est, hac re commendatur, quod Athen. XIV, 619, D, cum textrinum carmen ἔλινον dicat, uidetur lugubrem eius modum indicare.

Tro. 1211—3.

σύ τ', ὦ ποτ' οὖσα καλλίνικε μυρίων
μῆτερ τροπαίων, Ἕκτορος φίλον σάκος,
στεφανοῦ. θανῇ γὰρ οὐ θανοῦσα σὺν νεκρῷ.

Quaesita ultimi uersus uerba, siue ita interpungis:

θανῇ γάρ, οὐ θανοῦσα, σ. ν.
siue ita: θανῇ γάρ, οὐ θ. σ. ν.
siue ita: θανῇ γὰρ οὐ, θ. σ. ν.

Videntur mihi non solum acumen sententiae nullum continere, immo summam ineptiam, quam Seidlerus frustra remouere studet interpretatione adhibita artificiosa neque ullis exemplis firmata, ut θανοῦσα dicatur pro: θνητὸς οὖσα. ego non dubito, duce scholiasta, qui interpretatur: καίτοι συνθαπτομένη τῷ νεκρῷ οὐκ ἀποθανῇ με (quod puto supplendum esse μετ' αὐτοῦ) ita uersum corrigere:

θανῇ γὰρ οὐ, ταφεῖσα σὺν νεκρῷ
siue θανῇ γὰρ οὐ, ταφεῖσα, σὺν νεκρῷ.

dicit igitur Hecuba, coroneris, scutum, nam, quamuis sepultum, non morieris, siue immortale gloria scutum dicit, siue hanc ob caussam, quia metallum tabi non obnoxium est.

Addatur locus eis qui ita corrupti sint, ut uerbum aliquod proximum uerbum in similitudinem sui traxerit. de quo corruptelarum genere egregius est excursus Nauckii in 'Eurip. Studd. II, p. 152—158.'

Tro. 197, 8.

νεκύων ἀμενηνὸν ἄγαλμ', ἢ
τὰν παρά τε προθύροις φυλακὰν κατέχουσ',

ἢ παίδων θρέπτειρ', ἃ Τροίας
ἀρχαγοὺς εἶχον τιμάς;

παρὰ προθύροις AB, in quibus cetera mutila sunt.

Corruptum esse locum docet antistropha. Kirchhoffius medelam incertam dixit, Nauckius, eiecta particula τε ex recentiorum librorum auctoritate, rhythmum anapaestum restituit neglecta responsione metrica. mihi uidetur primum cum Hermanno scribendum esse:

νεκύων ἀμενηνὸν ἄγαλμα,

tum inserenda interiectio, quae respondeat antistrophico ἰώ, fortasse αἰαῖ, quod facillime potuit intercidere ante sequentem litteram ἤ. denique emendandi uersus 197 scholia si non prorsus certam tamen ualde probabilem uiam monstrant; ita enim explicant: ἢ θυρωρὸς ἐσομένη καὶ τὴν φυλακὴν τῶν προθύρων κατέχουσα. ἢ παίδων τροφὸς ἄγομαι. (Gloss. interl. λείπει ἄγομαι.)

Apparet uerba καὶ τὴν φυλακὴν τ. π. κατέχουσα multo propius accedere ad ipsa poetae uerba quam priora ἢ θυρ. ἐσ. ac solent fere scholiastae cum uerbis explicandis explicationem ipsam conectere particula καί, plerumque ita ut sequatur interpretatio, haud raro ita ut antecedat. pauca afferam exempla ex Troadibus. 368 (366 Dind.): ἔξω μωρίας καὶ βακχευμάτων, 790 (781): ὅσοι ἀναιδεῖς εἰσι καὶ φίλοι τῇ ἀναιδείᾳ. 1110 (1121): ῥίψαντες καὶ δισκεύσαντες. 1229 (1240): περὶ ἐμοῦ καὶ τῶν ἐμῶν πόνων. 1286 (1295): Πέργαμα καὶ τὰ τέραμνα τῶν Περγάμων.

Conicias igitur non solum uerba τὴν φυλακὴν κατέχουσα sed etiam genitiuum προθύρων ipsi textui esse desumpta, quem ita restituendum puto:

νεκύων ἀμενηνὸν ἄγαλμα
αἶ αἶ
ἢ τὰν προθύρων φυλακὰν κατέχουσ'
ἢ παίδων κτλ.

uu. παρὰ προθύροις siue παρά τε (τοῖς?) προθύροις uidentur ex glossemate illata esse.

Tro. 1080.

τέκνων δὲ πλῆθος ἐν πύλαις
δάκρυσι κατάορα στένει.

L. Dindorfius: 'quid significat haec uox (κατᾴορα) difficile dictu est.' κατᾴορος significat 'dependens, suspensus.' Dindorfius igitur nimirum id uoluit dicere, obscurum esse, quae sententia hoc loco exprimatur illa uoce. neque sane ego ullam dispicio, nam ea interpretatio, quam Hermannus, dubitans ipse, protulit 'quae lacrimantes matrum ulnis implicantur', probari nequit, nam etiamsi in proximis uerbis commemorantur matres, quomodo, qui ex matris ulnis dependeant, simpliciter dici possunt suspensi? praeterea potius cogitandum est, liberos a matribus esse abreptos.

Schol. κατᾴορα: ἐστεγασμένα, πεπυκνωμένα τοῖς δάκρυσι. (uerba quae secuntur: κατῄορα τῇ βοῇ. ἢ βοᾷ ἵν' ᾖ ῥῆμα alterius sunt interpretis uerba aliter coniungentis.)

Hes. κατηρεφὲς. κατεστεγασμένον. conicio igitur scriptum fuisse δάκρυσι κατηρεφῆ. quod duplici modo explicari potest, ut aut κατὰ σύνεσιν referantur uerba ad τέκνων πλῆθος, quasi praecedat simplex uox τέκνα, aut accipiantur pro στένει στόνον δάκρυσι κατηρεφῆ. (gemitum lacrumis ofusum) cf. Krueger, Gr. 46, 5, 4. praefero alteram interpretationem ut simpliciorem.

Conferas similem usum uocis συνηρεφὴς Or. 949.[1]

Medea 928—32.

Ias. οὐκ οἶδ' ἄν, εἰ πείσαιμι, πειρᾶσθαι δὲ χρή.
Med. σὺ δ' ἀλλὰ σὺν κέλευσον αἰτεῖσθαι πατρὸς
γυναῖκα παῖδας τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα.
Ias. μάλιστα καὶ πείσειν γε δοξάζωσφ' ἐγώ,
εἴπερ γυναικῶν ἐστι τῶν ἄλλων μία.

Primus dixit Brunckius, nimis molesta esse uerba τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα intra spatium quattuor uersuum repetita. sed uidetur mihi loci corruptelam nondum penitus perspexisse, cum talem fere uersus exitum putat exturbatum esse

(γυναῖκα παῖδας) σοὺς ἀφιέναι φυγῆς.

mihi uidetur integer uersus interpolatus esse ab aliquo siue histrione siue lectore, qui putaret desiderari rogationis ex-

[1] Casu puto factum esse, ut hi uersus Or. 949—951 in aliquot codd. defuerint, secundum scholiastam neque igitur probauerim Kirchhoffium, spurios eos habentem.

positionem. sed ea prorsus superuacanea est, cum iam de persona tantum agatur, quae precem ad Creontem perferat, non de ipso rogationis argumento, quod modo commemoratum est. deprehenditur interpolator non solum ex molestissima illa iteratione sed etiam ex inaudito soloecismo αἰτεῖσθαι πατρὸς pro πατέρα. imprudenter imitatus est u. 1143:

δέξῃ δὲ δῶρα καὶ παραιτήσῃ πατρὸς
φυγὰς ἀφεῖναι παισὶ τοῖσδ' ἐμὴν χάριν;

singulare sane etiam hoc παραιτεῖσθαι πατρὸς, sed habet tamen, quo defendi possit, dico praepositionem παρὰ, quae genitivum traxerit.

Delendus igitur est me quidem iudice integer uers. 930 et ex u. 929 uox πατρὸς; explendus autem u. 929 uerbo, quod uxorem significet. scribendum fortasse σὸν — λέχος, sed uerbis potius abstinendum est, cum incertum sit, quoad interpolatoris licentia grassata sit.

Confirmatur denique coniectura externo argumento. Scholia enim u. 932 ita explicant: εἴπερ γυναικῶν: ἀντὶ τοῦ φιλάνδρων, οἷον εἴπερ φίλανδρός ἐστι, πάντα σοι πεισθήσεται ἡ Γλαύκη, unde apparet, in codice scholiastae u. 932 Medeae fuisse, cui profecto non minus conuenit, quam Iasoni. immo aptissimum est, Medeam, ut magnis etiam Iasonis animum deuinciat, spectatum mulierum erga maritos obsequium laudare. fac igitur genuinam esse hanc personarum distributionem et uides, nouam accedere caussam reiciendi u. 930 ex stichomythia turbata. utraque coniectura alteram inuicem defendit. neque spernendum hoc argumentum imprimis in ea fabula, quam fere totam responsionis legi adstrictam esse euicit Hirzelius 'de Euripidis in componendis diuerbiis arte Bonn. 1862.' cuius argumentationi p. 39 prorsus assentior, cum u. 936 delendum esse dicat, retinendum u. 781, sed in ceteris huius scaenae partibus adornandis paullum recedo. primum dissoluta est responsio, quam uix ipsi placuisse puto, inter u. 928—933 et 946—50, cum iam quattuor tantum uersus illic sint, eiecto u. 930.

Sed dissentio etiam de uu. 909—918. primum enim mihi uidetur hoc loco retinendus esse u. 910. sola enim iteratio in Euripide non satis grauis eiciendi caussa est, nisi alia accedant argumenta, quibus demonstretur uersum ferri

non posse. aptissimum autem hoc loco est, Medeam uoltum abscondere, cum et liberorum horreat adspectum et ne maritus lacrumas animaduertat uereatur. non minus bene se habet uers. altero quo est loco u. 1137, sed manifesta est interpolatio u. 992, non solum metrico uitio, sed quia ueri est dissimile, Medeam nuntii adspectum anxie euitare. atque huius loci interpolator, qui imitatus est u. 910, 1 iam legit u. 910 eo quo nunc est loco, ut corruptelae duo quasi gradus fingendi essent, quod ut non inauditum est, tamen probabilitatis momentum detrahit.

Denique Hirzelius l. l. p. 41 u. 913, 4 transposuit post u. 918. ac prorsus mihi persuasit uu. 916—18 ante uu. 913, 4 esse ponendos, sed uersui 915 aliam sedem adsignauerim. mihi enim uidentur commutandi esse loci uersuum 913, 4 et 916—18, ut hic sit uersuum ordo:

Ias. *αὕτη, τί χλωροῖς δακρύοις τέγγεις κόρας*
στρέψασα λευκὴν ἔμπαλιν παρηίδα,
κοὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχῃ λόγον;
Med. *οὐδέν· τέκνων τῶνδ' ἐννοουμένη πέρι*
Ias. *τί δή, τάλαινα, τοῖςδ' ἐπιστένεις τέκνοις;*
Med. *ἔτικτον αὐτούς· ζῆν δ' ὅτ' ἐξεύχου τέκνα,*
εἰσῆλθέ μ' οἶκτος, εἰ γενήσεται τάδε.
γυνὴ δὲ θῆλυ κἀπὶ δακρύοις ἔφυ.
Ias. *θάρσει νυν· εὖ γὰρ τῶνδε θήσομαι πέρι*
Med. *δράσω τάδ'· οὔτοι σοῖς ἀπιστήσα λόγοις*

uersus igitur 915 quasi excusandi caussa additus est u. 917, 8, quibus Medea sibi uisa erat ueram animi sententiam nimis imprudenter Iasoni aperuisse.

Ex his igitur, quae hucusque disputaui, efficitur haec uers. 895—962 compositio:

3.3. 4.4. 3.1.1.3. 1.1 2.5.2. 4. × 1. 12.5.12.

De prologo Troadum.[1]

Communicavit nuper mecum amicus Wagnerus, Troad.

[1] Oblitus est huius commentationis auctor, amicum communem Hermannum Schraderum in dissertatione de notatione critica in poëtis scaenicis adhibita p. 48 sq. de eadem coniectura mea plura commentatum esse. G. Wagner.

u. 23—27 sibi uideri eo quo nunc sunt loco remouendos esse. continuari enim uersibus 15—22 et 28—44 calamitatis Troianae descriptionem, quae male interrumpatur interiectis uu. 23—27, quibus Neptunus consilium suum relinquendae urbis pronuntiat. immo uu. 23—27 conlocandos esse in fine prologi cui ex more Euripidis optime conueniant sententiosi uersus:

ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή,
νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει.

cuius coniecturae ueritas ita quasi incurrit in oculos, ut nemo putem contradicturum esse. tale uitium profecto mireris tam diu legentium acumen elusisse.

Quamuis igitur ipsa se satis tueatur amici coniectura, tamen mihi gratum accidit, cum scholiis quoque eam optime defendi uiderem. haec enim leguntur ad u. 44:

γαμεῖ βιαίως: ἀντὶ τοῦ γαμήσει. σεσημείωται καὶ μηκέτι αὐτῆς οἰκουμένης· ὑπώπτευκε γὰρ Ἀριστοφάνης ἐκ τούτου· 'νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει.' (Hom. V, 307).

Quae quid sibi uelint hucusque obscurum fuit. iam intellegitur, haec adscripta fuisse ad u. 26 et postquam u. 23—27 transpositi sint, coaluisse cum scholio u. 44. nimirum enim discrepantia quaedam notatur inter Euripidem et Homerum, quia Euripides deuastatam Troiam atque desertam dicat, Homerus autem, cum Aeneam Troianis imperaturum esse canat, relicuos fuisse Troianos neque prorsus desertam urbem finxerit. secundum hanc sententiam, quae sola mihi uidetur in his uerbis dispici, scholium aperte lacunosum ita fere suppleuerim: σεσημείωται [ὅτι ἔρημον τὴν Τροίαν εἶπεν, ὡς πάντων τῶν Τρώων ὀλωλότων] καὶ μηκέτι αὐτῆς οἰκουμένης. ὑπώπτευκε γὰρ etc.

Aristophanes autem num re uera Euripidis uersus in suspitionem uocauerit, quia recedere uideantur ab Homero, valde dubito. ego potius u. ὑπώπτευκε tribuerim grammatico perperam interpretato σημεῖον Aristophanis, quo nihil nisi discrepantiam illam notauerat, quam uidebatur sibi deprehendisse. multo minus autem patiar tam temerariam ei insinuari rationem, quam uoluit Nauckius (Aristoph. Byz. p. 30) articulo τὸ ante u. Homericum inserto, ut Homeri u. damnauerit, quia recedat ab Euripide.

Denique amici coniecturam in uniuersum scholiis egregie probatam, ipse si fieri possit additamento perficiam.

Concedo ei, si sententiam spectes uu. 23—27, optimum uideri eorum locum in fine prologi esse. tamen post uu. 45—47 conlocari non possunt: sana enim ratione careret, si Neptunus tum demum proferret abeundi consilium, cum iam ultimum uale urbi dixisset (*ἀλλ', ὦ ποτ' εὐτυχοῦσα, χαῖρέ μοι, πόλις*). itaque uu. 23 — 27 uidentur inserendi esse ante uu. 45—47.

Sed iam mihi hos ipsos uersus consideres. sententia uerborum

εἴ σε μὴ διώλεσε
Παλλὰς Διὸς παῖς, ἦσθ' ἂν ἐν βάθροις ἔτι,

si uerbum *διώλεσε* uoce extollas, puerilis est et paene scurrilis: si uerba *Παλλὰς Διὸς παῖς* cum grauitate pronunties, nimis haec pugnant cum uu. proxime antecedentibus 23, 4, quibus Minerua et Iuno una perdidisse urbem dicuntur (uel sola Iuno, si uera est Nauckii suspitio, u. 23 esse interpolatum).

Ne plura. consentio cum amico, uu. 23—27 in fine prologi esse ponendos, sed uu. 45—47 simul abiciendi sunt. fortasse conficti sunt a grammatico, qui cum uideret uu. 23—27 siue ab ipso Aristophane siue ab Aristophaneae notae interprete suspectos esse uocatos propter illam discrepantiam, substituere uellet similis sententiae uersus, quibus uitaretur illa discrepantia. quibus in margine adscriptis u. 23—27 fortasse ex genuina sede deturbati sunt.

DE SOPHOCLIS PHAEDRA ET DE EVRIPIDIS HIPPOLYTO PRIORE.

SCRIPSIT

EDVARDVS HILLER.

Maxima pars dramatum tragicorum graecorum cum infausta sorte sit deperdita, dignum esse arbitramur philologorum laboribus, ut quoad fieri possit, illa restituantur et quasi ex ingentibus ruinis erigantur, conexum probabilemque sedem eorum uersuum explorare, qui forte fortuna nobis seruati sunt, et omnino, quae ueteres de tragoediis illis tradiderunt, in ordinem quendam redacta exhibere. hanc enim rem non modo ad literarum graecarum historiam penitus perspiciendam, uerum etiam ad mythos enarrandos artisque monumenta recte intellegenda magni esse momenti, unusquisque facile intelleget. ceterum opus tale, quale modo descripsi, a Welckero nostro uiro uenerabili ante hos uiginti quinque annos ingeniose esse compositum, quis est qui nesciat? attamen in tanta rerum copia ac difficultate, quam operis natura secum tulit, fieri non potuit, quin singulis retractatis iterumque peruolutis pensitatisque appareat, quaedam aliter se habere, atque uisum est Welckero, alia, quae ille omisit aut in medio reliquit, certius posse explorari, denique nonnulla, quae pro certis habuit, dubia esse atque ambigua. quare nos haud inutile esse censuimus, unam rem e tanta copia delectam accuratius denuo pertractare, et quidem duas e tragoediarum deperditarum numero elegimus, quae in eodem mytho uersatae sunt, Sophoclis Phaedram et Euripidis Hippolytum priorem. mytho illo, qui est de Phaedrae infelici amore et iniusta Hippolyti morte, ante Sophoclem poetae graeci non multum usi esse uidentur: nos quidem eius rei nullum testimonium habemus nisi unum

idque corruptum [1], unde elucet, narratum fuisse in carmine Naupactio, Hippolytum ab Aesculapio a morte ad uitam esse reuocatum.

Sophocles igitur mythum illum (quo anno nescitur) ea tractavit tragoedia, quae Phaedra erat inscripta. haec fabula paucis tantum fragmentis nobis nota esset, nisi argumentum eius in scholiis ad Odysseam extaret. ad eum locum, ubi Phaedra inter mulieres in Orco ab Ulixe uisas commemoratur [2], scholiasta, quae de Phaedra annotat, ex Asclepiade se exscripsisse testatur. Asclepiades enim Tragilensis, Isocratis discipulus, qui non ita multum post Alexandrum Magnum floruisse uidetur [3], *τραγῳδούμενα* conscripsit, quibus argumenta tragoediarum graecarum collegit atque enarrauit. et quidem e fragmentis optime collectis illis a Müllero [4] narrationes eius plerumque tales fuisse discimus, ut ad certas tragoedias spectarent. idque magis quam in ceteris in iis, quae de Phaedra et Hippolyto narrauit, tenendum est, quia mythum illum a poetis epicis uberius non esse tractatum uidimus. locus autem scholiastae supra commemoratus hic est:

Θησεὺς ὁ Αἰγέως ἔχων παῖδα Ἱππόλυτον ἐξ Ἀμαζόνος Ἀντιόπης ἔγημε Φαίδραν τὴν Μίνωος θυγατέρα τοῦ τῶν Κρητῶν βασιλέως. εὐλαβούμενος δὲ μητρυιᾶς ἐπιβουλὴν πέμπει ἐξ Ἀθηνῶν τὸν υἱὸν Ἱππόλυτον Τροιζηνίων ἄρχειν. ἦν γὰρ αὐτῷ διὰ τὴν Πιτθέως Αἴθραν μητρῴα τις ἀρχὴ δεῦρο. Φαίδρα δὲ ἐρωτικῶς διατεθεῖσα τοῦ Ἱππολύτου, σφοδρῶς ἐπ' αὐτῷ τηκομένη τὸ μὲν πρῶτον ἱερὸν Ἀφροδίτης ἐν Ἀθήναις ἱδρύσατο τὸ νῦν Ἱππολύτειον καλούμενον. εἰς Τροίζηνα δὲ ὕστερον παραγενομένη διενοεῖτο πείθειν τὸν νεανίσκον ὅπως αὐτῇ μιγείῃ. χαλεπῶς δ' ἐκείνου προσδεξαμένου τὸν λόγον λέγεται βοηθεῖσαν (*φοβηθεῖσαν* Barnes.) *αὐτὴν ἀντιστρέψαι τὴν αἰτίαν καὶ πρὸς Θησέα διαβάλλειν ὡς Ἱππολύτου πείθοντος αὐτήν. ὁ δὲ τριῶν ὥς φασιν αὐτῷ παρὰ τοῦ Ποσειδῶνος εὐχῶν εἶναι ὡμολόγησεν* (*οὐσῶν, ὁμολογήσαντος* Buttm.), *ὅ,τι ἂν εὔξηται συντελέσειν, πιστεύσας τῇ Φαίδρᾳ μίαν τούτων ᾐτήσατο παρὰ τοῦ* (*παρ' αὐτοῦ τὸν τοῦ* Buttm.) *παιδὸς ὄλεθρον. ἐκεῖνον μὲν οὖν ὁμολογοῦσι τὸ ἅρμα γυμνάζοντα, παραφανέντος ἐξαίφνης ἀπὸ τῆς θαλάσσης ταύρου καὶ ταραχθέν-*

[1] Apollod. 3, 10, 3, 12. [2] *λ*, 321. [3] Müller, fragm. hist. graec. 3. p. 289. [4] l. c. p. 301—306.

των ἵππων ἑλκόμενον ἀποθανεῖν τὴν δὲ Φαίδραν φανερῶς γενομένης τῆς διαβολῆς ἀπάγξασθαι. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Ἀσκληπιάδῃ.

Βοηθεῖσαν uocabulum iure a Barnesio correctum est in *φοβηθεῖσαν*. nam exempla formae ἐβοήθην mihi nota non sunt: ἐβώσθην forma[5] passiuam habet significationem. contra nulla causa est offendendi in uerbo ὁμολογοῦσιν, quod ad differentias, quae in ceteris rebus inter Sophoclis et Euripidis fabulam apparebant, referendum esse intellexit Welckerus. eiusdem uariarum narrationum comparationis simile exemplum in hoc fragmento Asclepiadis[6] exstat: περὶ μὲν οὖν τοῦ θανάτου (sc. τοῦ Νεοπτολέμου) σχεδὸν ἅπαντες οἱ ποιηταὶ συμφωνοῦσιν κτλ.

Inter narrationem illam et tragoediam, quae nobis seruata est, Euripidiam differentias uidemus satis magnas. Phaedra, quae apud Euripidem quamuis turpi affectu conturbata tamen generoso animo est, illic mulierem adeo prauam fictam esse apparet, ut ipse Theseus filium ab eius insidiis seruandum esse cognouerit. tum ipsa Phaedra, non, ut apud Euripidem, nutrix imprudens, Hippolyto non modo sceleratum amorem confitetur, sed etiam ut turpissimum committat flagitium ab eo poscit. apud Euripidem Phaedra, postquam propter amorem suum iam pridem mori decreuit, Hippolytum ob eam solam causam accusat, ut infamiam a memoria sua liberisque auertat[7]: in Asclepiadis narratione Hippolytum apud Theseum criminatur timore permota, ne ipsam ille accuset: mortem autem tum demum sibi consciscit, cum tota re patefacta spes nulla ei relicta est. itaque cum neque ea, quam nos habemus, Euripidis fabula Asclepiadem usum esse appareat neque (ut postea uidebimus) ea, quae de Euripidis Hippolyto priore cognita nobis sunt, cum illius narratione congruant, pro certo habendum esse uidetur, quod Welckerus coniecit tantum: Asclepiadem Sophoclis Phaedram ante oculos habuisse.

Aliud quoque — idque grauissimum — ex Asclepiadis uerbis uel potius ex eius silentio consequitur, apud Sophoclem Hippolytum post mortem diuinorum honorum participem non factum esse, id quod in Euripidis Hippolyto

[5] Herod. 3, 39. 6, 131. 8, 124. [6] Schol. Pind. Nem. 7, 62. fr. 9. M. [7] u. 715—718.

inde a uersu 1423 legimus. haec enim res et ad ipsum mythum et ad tragoediae compositionem perspiciendam tanti momenti est — id quod ueteribus multo etiam magis quam nobis uisum esse elucet — ut, si a Sophocle in scaenam esset prolata, Asclepiades eam omittere nullo modo potuisset. dicat fortasse aliquis, cum sola Phaedra in Odyssea commemorata sit, scholiastam ea tantum, quae ad Phaedram pertinerent, ex Asclepiade exscripsisse. sed pauca illa eademque magni momenti uerba de Hippolyti diuinis honoribus agentia si apud illum reperisset, eum consulto omissurum fuisse iam per se uix credibile est; praeterea autem exempla habemus, quibus tales narrationes ex Asclepiade totas eum exscripsisse probatur. sic enim in iis, quae ad Megarae commemorationem annotat [8], uerba *ἔμελλε δὲ καὶ τὸν ἀδελφὸν Ἰφικλέα* (sc. *κτενεῖν*), *εἰ μὴ ἔφθασεν Ἀθηνᾶ κωλύσασα* ad ipsam Megaram nullo modo pertinent; eodemque modo in fine narrationis, qua mythum de Eriphyla agentem exponit [9], haec uerba legimus: *ταῦτα δὲ πάντα δρᾶσαι λέγεται τὸν Ἀλκμαίωνα καὶ διὰ τὴν μητροκτονίαν μανῆναι. τοὺς δὲ θεοὺς ἀπολῦσαι τῆς νόσου αὐτὸν διὰ τὸ ὁσίως ἐπαμύνοντα τῷ πατρὶ τὴν μητέρα κατακτεῖναι.* — ceterum ex ipso etiam nomine tragoediae Sophocliae perspicuum est, egisse eam de Phaedrae potissimum amore et morte; quid autem ad Phaedram honores illi Hippolyti?

Itaque Asclepiadis uerbis certum totius disputationis fundamentum assecuti, ad tractandas quae exstant Phaedrae reliquias progrediamur, praemissis perpaucis iis, quibus cui personae tribuendae sint, pro certo statui potest. antea autem ea, quae Gruppius de Sophoclis Phaedra disseruit [10], breuiter tangenda sunt, ne opere eius parum diligenter usi esse uideamur. disputatio autem illa fundamento nimis infirmo nititur, praecipue quia Gruppius Asclepiadis narrationem non adhibuit, deinde quia multa e poetae magis quam e grammatici ratione efficere conatur, id quod ualde periculosum est in eiusmodi quaestionibus. quare Gruppii opiniones memorare plerumque uix opus est.

Ex iis, quae Phaedra choro mulierum de amore suo dicit, sine dubio haec duo fragmenta petita sunt:

[8] λ, 269. [9] λ, 326. [10] Ariadne p. 604—613.

614 N. [11] σύγγνωτε κανασχέσθε σιγῶσαι τὸ γὰρ
γυναιξὶν αἰσχρὸν σὺν γυναιξὶ δεῖ στέγειν·

615 N. [12] αἴσχη μέν, ὦ γυναῖκες οὐδ' ἂν εἷς φίγοι
βροτῶν ποθ', ᾧ καὶ Ζεὺς ἐφορμήσῃ κακά.
νόσους δ' ἀνάγκη τὰς θεηλάτους φέρειν.

reuocantur ei in memoriam liberi aut a choro aut a nutrice uel alia quadam, cuius consuetudine utitur:

619 N. [13] ἀλλ' εἰσὶ μητρὶ παῖδες ἄγκυραι βίου.

Hippolytus causam, cur Phaedrae non obsequatur uel cur omnino a Venere abstineat, hanc affert:

612 N. [14] οὐ γὰρ δίκαιον ἄνδρα γενναῖον φρένας
τέρπειν, ὅπου μὴ καὶ δίκαια τέρψεται.

Thesei uerba haec sunt:

618 N. [15] οὐ γάρ ποτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἀσφαλὴς πόλις,
ἐν ᾗ τὰ μὲν δίκαια καὶ τὰ σώφρονα
λάγδην πατεῖται, κωτίλος δ' ἀνὴρ λαβὼν
πανοῦργα χερσὶ κέντρα κηδεύει πόλιν.

Hippolytum enim a Phaedra accusatum morte afficiendum esse dicit, ne post ipsius obitum regnum adultero obueniat. de Phaedra autem hanc profert sententiam:

617 N. [16] οὕτω γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν
κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ' ἂν οὐδὲ σώφρονος
κρεῖσσον, παθὼν δ' ἕκαστος ὧν τύχῃ λέγει.

in quorum uersuum ultimo Gruppius haud sine probabilitate notam illam Sophoclis ἀμφιβολίαν inesse arbitratur: Theseum enim γυναῖκα σώφρονα, spectatores κακήν in animo habere.

Verba ἀπέπτυσεν λόγους [17] eius esse uidentur, cuius indicio ἡ διαβολὴ φανερὰ γίγνεται. oritur autem quaestio, quis ille sit. equidem puto nutricem uel quemuis alium secreti participem, neque uero Dianam; eam enim in fine tragoediae apparuisse, uix est ueri simile, cum supra Sophoclem diuinos honores Hippolyto non tribuisse uiderimus.

Hos qui secuntur uersus ex postrema fabulae parte sumptos esse probabile, cui personae tribuendi sint, incertum est:

[11] Stob. Flor. 74, 16. [12] Stob. Flor. 108, 53. [13] Anecd. Bekk. p 338, 16. [14] Stob. Flor. 17, 2. Orion Flor. 6, 7. [15] Stob. Flor. 73, 4. Schol. Luc. p. 154. [16] Stob. Flor. 69, 14. [17] Hesych. I p. 438. Fr. 613 N.

616 N. [18] τὸ δ' εὐτυχοῦν ἅπαν ἀριθμήσας βροτῶν
οὐκ ἔστιν ὄντως, ὅντιν' εὑρήσεις ἕνα.

Alius Phaedrae uersus corruptissimus est et, nisi cum uiolentia quadam, sanari nequit. Hesychius enim [19] hanc habet glossam: κυλαίνων (leg. κυλλαίνων) κάτω. Σοφοκλῆς Φαίδρᾳ. τὰ ὦτα καταβαλών, ἅπερ (ἤπερ uel ὅπερ Hemst.) οἱ σαίνοντες (κύνες add. Hemst.) ποιοῦσιν:

ἔσται ἐπουρανῶτικυθλάννων. καὶ τὸ

οἷον

οὐρῇ μέν ῥ' ὅγ' ἔσηνε καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω [20].

uersum Sophoclium uiri docti sic restituerunt:

ἔσαιν' ἐπ' οὐρὰν ὦτε κυλλαίνων κάτω

quid autem σαίνειν ἐπ' οὐράν sit, non intellego neque aliud huius constructionis exemplum reperire potui. nam caudae significatio ubicunque σαίνειν uerbo additur, datiui formam accipit [21]. neque id quod Hemsterhusius proposuit ἔσαινεν οὐράν comprobare possum; hac enim constructione nemo usus est nisi scholiasta Aeschyli [22]. uersus igitur restitui non potest, nisi corruptorum uerborum mutationem iam satis uiolentam etiam uiolentiorem reddimus scribendo uel cum Brunckio

ἔσαινεν οὐρᾷ τὦτα κυλλαίνων κάτω

uel

ἔσαινεν (uel ἔσαινε δ') οὐρᾷ μ' ὦτα (uel ὦτε) κυλλαίνων κάτω.

nam σαίνειν τινά et apud alios poetas [23] et apud ipsum Sophoclem [24] haud semel reperitur. id quod Hesychii glossa falso loco (inter κυλλήβδην et Κυλλήνη) posita est, ad librarii neglegentiam referre malim (quamquam hoc satis periculosum esse non ignoro), quam cum Schmidtio pro κυλλαίνων uocabulo κύλληνον uel κύλληνεν scribere, quae formae quo referendae sint, non intellego. est autem uersus mea sententia ei personae tribuendus, quae mortem Hippolyti narrat; fidelis enim Hippolyti canis uenaticus apud mortui adulescentis corpus aptiorem locum habet quam in ea scaena,

[18] Stob. Flor. 105, 39. [19] II p. 374. Fr. 620 N. [20] Od. ρ, 302. [21] Od. ρ, 302. Hes. Theogon. 771. Ar. Eq. 1031. [22] ad Sept. [23] Ar. Eq. 1031. Eur. Rhes. 55. Ion 685. [24] Oed. Col. 320. fr. Teucri. ap. Stob. Flor. 122, 10.

ubi Phaedra Hippolyto amorem suum confitetur, quae est Welckeri sententia.

Ex Phaedrae oratione, si re uera sunt Sophoclei, sumpti esse uidentur hi uersus (Eur. fr. 434 N.)[25]:

Ἔρως γὰρ ἄνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται
οὐδ' αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω
ψυχὰς χαράσσει κἀπὶ πόντον ἔρχεται.
καὶ τόνδ' ἀπείργειν οὐδ' ὁ παγκρατὴς σθένει
Ζεύς, ἀλλ' ὑπείκει καὶ θέλων ἐγκλίνεται.

tres primos horum uersuum Clemens Alexandrinus[26], omnes Stobaei codex Vossianus Euripidi tribuunt. de qua re Valckenarius[27] haec dicit: 'mihi quidem omnino Sophoclei coloris uersus esse uidentur,' Nauckius[28] haec: 'uidetur ipsa oratio Euripidem prodere.' utrum uerum sit, statui uix potest. hoc tantum addo, uersus, si Euripidis sunt, non nisi magna cum dubitatione ad Hippolytum priorem posse referri.

Hos uersus e cantico quodam sumptos

611 N.[29] περιώσι' ἄφυκτά τε
μήδεα παντοδαπᾶν βουλᾶν ἀδαμαντίναις
ὑφαίνεται κερκίσιν αἶσα

cur a tragoedia nostra abiudicemus, causa non est, cum etiam optimus Stobaei codex Augustanus lemma Σοφοκλέους ἐκ Φαίδρας habeat. contra summo iure Nauckius hunc locum.

Adesp. 424 N.[30] A. ἔζης ἄρ' οὐδὲ γῆς ἔνερθ' ᾤχου θανών;
B. οὐ γὰρ πρὸ μοίρας ἡ τύχη βιάζεται,

cuius lemma in solo codice Vaticano exstat, inter adespota fragmenta relegauit. Heerenus quidem putat, primum uersum continere uerba Phaedrae, Theseum ex inferis redeuntem interrogantis, num uiuus redeat? cui respondeat Theseus, fato sibi constitutum esse ut rediret, unde fortunae nulla in se uis fuerit. sed mirum profecto esset, si in illa Phaedrae interrogatione ἔζης imperfectum esset positum.

Omittenda censui, quaecunque dici possunt de iis fragmentis Sophoclis sine fabulae nomine citatis, quae ad Phaedram referre licet (uelut fr. 778. 814. 822. 856. 867. 875 N.), quia haec res ad necessitatem perduci nequit neque nos quidquam

[25] Stob. Flor. 63, 25. [26] Strom. 6. p. 745. [27] ad Eur. Hipp. 447. [28] Eur. fr. 434. [29] Stob. Ecl. phys. 1, 5, 11 p. 172. [30] Stob. Ecl. phys. 1, 5, 13 p. 174.

talibus quaestionibus lucramur. hoc addo, nullam esse causam, cur Theseum fabulam semel tantum citatam [31] eandem quam Phaedram fuisse putemus. fabulae enim semel nominatae nonnunquam nobis occurrunt, uelut Euripidis Niobe, *Θερισταί*, Epeus. de reperiendo autem argumento Thesei tragoediae in tanta uarietate mythorum ad Thesei res pertinentium nobis desperandum est, uerbaque illa ab ipso Theseo dicta [32]:

ὃς παρακτίαν
στείχων ἀνημέρωσα κνωδάλων ὁδόν

eodem iure ad Theseum quo ad Aegeum uel ad Phaedram [33] referri possunt.

Iam igitur expositis iis, quae de Sophoclis Phaedra dicenda esse uidebantur, ad alteram disputationis nostrae particulam pergimus, quam de Euripidis Hippolyto priore agere nobis proposuimus. Euripides enim praeter eam quae aetatem tulit tragoediam Hippolytum aliam eiusdem nominis priore tempore composuit, e cuius fragmentis apparet, Hippolytum alteram non correctam prioris editionem, sed nouam aliamque tragoediam fuisse, eundemque mythum a poeta diuerso modo esse tractatum. ante omnia id uidemus, Phaedrae mores in Hippolyto priore tales fuisse quales in Phaedra Sophoclia. iam dudum a uiris doctis huc allatus est locus Plutarchi [34]: *καὶ ὁ σύσκηνος αὐτοῦ* (Sophoclis) *πάλιν ὁρᾷς, ὅτι τήν τε Φαίδραν καὶ προσεγκαλοῦσαν τῷ Θησεῖ πεποίηκεν ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἱππολύτου κτλ.* et scholion Theocriti [35]: *ταῖς ἔρωτι κατεχομέναις τὴν σελήνην μετακαλεῖσθαι σύνηθες, ὡς καὶ Εὐριπίδης ποιεῖ Φαίδραν πράττουσαν ἐν τῷ καλυπτομένῳ Ἱππολύτῳ.* fragmenta autem haec sine dubio Phaedrae sunt tribuenda:

433 N. [36] ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον
ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον,
Ἔρωτα, πάντων δυσμαχώτατον θεόν.

436 N. [37] ἔγωγε φημὶ καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
ἐν τοῖσι δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον.

[31] Phot. Lex. p. 342, 11. Suid. s. u. ὄμπνιον. [32] Schol. Pind. Isthm. Prol. p. 514. [33] cf. Eur. Hipp. 977 sqq. [34] Mor. p. 28a. [35] 2, 10. [36] Stob. Flor. 63, 23. [37] Stob. Flor. 12, 10.

437 N.[38] οὐ γὰρ κατ' εὐσέβειαν αἱ θνητῶν τύχαι,
τολμήμασιν δὲ καὶ χερῶν ὑπερβολαῖς
ἁλίσκεταί τε πάντα καὶ θηρεύεται.

apparet igitur, cur Aristophanis impudicitiam Phaedrae Euripidiae castiget[39], cur auctor argumenti Hippolyti posterioris hoc dicat: τὸ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι, denique quo modo narratio illa ab Euripidis biographo tradita oriri potuerit: λέγουσι δ' αὐτὸν γήμαντα τὴν Μνησιλόχου θυγατέρα Χοιρίλην καὶ νοήσαντα τὴν ἀκολασίαν αὐτῆς γράψαι δρᾶμα τὸν πρότερον Ἱππόλυτον, ἐν ᾧ τὴν ἀναισχυντίαν θριαμβεύει τῶν γυναικῶν. itaque amorem suum quin Phaedra turpi modo ipsa priuigno confessa sit, dubitari uix potest, quamquam id nusquam diserte proditum inuenio. nam haec duo fragmenta eodem iure Thesei propter filii crimen irati quam Hippolyti amorem Phaedrae aspernantis esse uerba, statuere possumus:

439 N.[40] ὦ πότνι' αἰδώς, εἴθε τοῖς πᾶσιν βροτοῖς
συνοῦσα τἀναίσχυντον ἐξῃροῦ φρενῶν.

442 N.[41] φεῦ φεῦ, τὸ μὴ τὰ πράγματ' ἀνθρώποις ἔχειν
φωνήν, ἵν' ἦσαν μηδὲν οἱ δεινοὶ λέγειν.
νῦν δ' εὐρόοισι στόμασι τἀληθέστατα
κλέπτουσιν, ὥστε μὴ δοκεῖν ἃ χρῆ δοκεῖν.

Ad Hippolytum dicti hi sunt uersus, qui cui tribuendi sint ego pro incerto habeo:

431 N.[42] οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις.

Theseum in Hippolyto priore non Delphis, sed ex inferis rediisse coniecit Valckenarius, quem secuti sunt omnes, ex hoc fragmento:

446 N.[43] ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ ἡμέρας θ' ἁγνὸν φάος,
ὡς ἡδὺ λεύσσειν τοῖς τε πράσσουσιν καλῶς
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν, ὧν πέφυκ' ἐγώ.

sed cur Theseus, feliciter ex tantis periculis reuersus, miseriam suam lamentatur? an propterea quia non eadem qua prius fuerat corporis ui est et ualetudine, sicut Hartungius[44] e Senecae Hippolyto concludit? δυστυχίας causam hanc esse uix quisquam credet. an quia iam mali aliquid animo prae-

[38] Stob. Flor. 51, 10. [39] Ran. 1043. 1052. Thesm. 547. [40] Stob. Flor. 31, 3. [41] Stob. Flor. 82, 1. [42] Stob. Flor. 63, 3. Plut. Mor. p. 778 b. [43] Stob. Flor. 119, 8. [44] Eur. rest. 1, 49.

sagit, quae est Welckeri[45] et Wagneri[46] sententia? ne tum quidem iam infelicem se appellare potest. num uero quidquam difficile est uel parum aptum, si uersus illos Phaedrae ex aedibus egressae tribuerimus?

Moritur Phaedra non, ut apud Sophoclem, post Hippolyti obitum, sed antea illum literis accusat, quas mortua in manu tenet. id enim accipimus ex his Philemonis uerbis[47]: *οἱ δὲ παλαιοὶ καὶ ἐν τῇ καθ' Εὐριπίδην Φαίδρᾳ, ἔνθα μνήμη πεύκης κεῖται, φασὶ πεύκην ῥηθῆναι τὴν ἐν τῇ χειρὶ τῆς Φαίδρας δέλτον, τὴν κατὰ τοῦ Ἱππολύτου, ὡς ξυλίνην οὖσαν, καὶ ἴσως ἐκ πεύκης.* neque ulla causa est, cur cum Welckero[48] et Wagnero[49] statuendum esse putemus, a Phaedra uiua epistulam Theseo esse datam. habemus igitur iam unam causam, cur Asclepiadis narrationem ad Hippolytum priorem referre non liceat.

Si ex Hippolyto sumpti sunt hi uersus

435 N.[50] *αὐτός τι νῦν δρῶν εἶτα δαίμονας κάλει·*
τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει,

quorum posteriorem Stobaeus Hippolyto, Clemens Temeno fabulae tribuit, ego eos explicare non possum; nam Phaedram secum ipsam loquentem *αὐτὸς δρῶν* dixisse praeter Wagnerum uix quisquam credet. neque uersus

438 N.[51] *τί δ' ἢν λυθείς με διαβάλῃς, παθεῖν σε δεῖ;*

ubi locum habuerit, scio; neque enim Hippolytum a patre in uincula coniectum esse, credere, neque quo modo dimissus illum defraudari potuerit, intellegere possum. ceterum locus corruptus est; traditam lectionem *τί δ' ἢν λυθῇς με διαβαλεῖς* Coningtonus restituere studuit scribendo *ψύθη με διαβάλῃς*, Hartungius *ψύδει με διαβάλῃς*. nos, ut plerique, facillimam Musgraui emendationem recepimus.

Paulo diutius commorari necesse est in alio fragmento:

443 N.[52] *Θησεῦ, παραινῶ σοι τὸ λῷστον, εἰ φρονεῖς·*
γυναικὶ πείθου μηδὲ τἀληθῆ κλύων.

(in uersu priore Gaisfordi emendationem uolgo probatam recepimus; traditum est *καὶ τὸ λώιστον*) ab Hippolyto, quae

[45] griech Trag. p. 740. [46] Eur. fr. 439. [47] u. *βίβλος*. [48] l. c. p. 740 sqq. [49] l. c. [50] Schol. Il. δ, 249. Suid u. *αὐτός τι*. Stob. Flor. 29, 34. Clem. Al. Strom. 6 p. 741. [51] Erot. Gloss. Hipp. p. 120. [52] Stob. Flor. 73, 55.

est Welckeri[53] et Wagneri[54] sententia, hos uersus locutos esse non puto; nusquam enim in tragoediis graecis inueni, patrem a filio appellari ipso suo nomine. itaque aut chori sunt uersus aut, ut Hartungius[55] censet, satellitis siue amici Hippolyti, quae differentia ad ipsam rem, de qua agitur, nullius est momenti. omnes enim interpretes locum sic intellexerunt, si ego uerba eorum recte percepi: admoneri Theseum, ne uerbis Phaedrae uel nutricis Hippolytum accusantibus credat ('ne credas mulieri, etiamsi uera audis'). sed nonne tunc posterioris uersus sententia prorsus est peruersa? quis enim, si uera ab alio quodam se audire scit, huic credere uel obsequi dubitauerit? neque ad defendendam hanc sententiam quidquam ualet fragmentum Stheneboeae[56] a Wagnero allatum:

πιστεύειν δὲ χρὴ
γυναικὶ μηδέν', ὅστις εὖ φρονεῖ βροτῶν.

quare ego uersum illum sic uerto: 'obsequere mulieri, etiamsi uera non audis.' cogitandum est, nutricem, quamquam uera detegere non audet, ut mortuae dominae seruet honorem, tamen Theseum, ne quid grauius de filio consulat, dehortari.

Ex nuntii narratione hoc fragmentum esse uidetur:

445 N.[57] πρὸς ἵππων εὐθὺς ὁρμήσας στάσιν,

ex ultima tragoediae parte hoc:

448 N.[58] ἀλλ' οὐ γὰρ ὀρθῶς ταῦτα κρίνουσιν θεοί.

de aliis sex fragmentis[59] nonnulla quidem conicere neque tamen quidquam pro certo statuere licet; sunt enim eiusmodi, ut multis locis inseri potuerint ab Euripide, quare plura de iis disserere uix opus est.

Ex iis, quae adhuc disputauimus, magnas differentias inter duarum Hippolytorum argumento fuisse non cognoscimus praeter unam illam eamque grauissimam, quae ad Phaedrae mores spectat. finiuerunt autem Hippolytum priorem sine dubio hi uersus a choro recitati (in quibus altera inest differentia Hippolyti prioris a uerbis Asclepiadis):

449 N.[60] ὦ μάκαρ, οἵας ἔλαχες τιμᾶς,
Ἱππόλυθ' ἥρως, διὰ σωφροσύνην·
οὔποτε θνητοῖς

[53] l. c. p. 741. [54] fr. 441. [55] Eur. rest. 1, 50.
[56] Stob. Flor. 85, 6. [57] Poll. 9, 50. [58] Iust. Mart. 1 p. 128.
[59] 432, 440, 441, 444, 447. N. 448 W. [60] Stob. Flor. 5, 16.

ἀρετῆς ἄλλη δύναμις μείζων.
ἦλθε γὰρ ἢ πρόσθ' ἢ μετόπισθεν
τῆς εὐσεβίας χάρις ἐσθλή.

hos uersus si comparamus cum exitu Hippolyti posterioris:

κοινὸν τόδ' ἄχος πᾶσι πολίταις
ἦλθεν ἀέλπτως·
πολλῶν δακρύων ἔσται πίτυλος·
τῶν γὰρ μεγάλων ἀξιοπενθεῖς
φῆμαι μᾶλλον κατέχουσιν,

mirandum profecto est, quod chorus in alterius tragoediae fine Hippolytum praematura morte obiisse lamentatur, in alterius autem fine oratio eius nullum quod est dolentis habet uocabulum, immo Hippolytum propter honores ei tributos quasi felicem praedicat. Hippolyti ἀφηρωισμός in dramate posteriore nusquam memoratur, honorum fit mentio his Dianae uerbis [61]:

σοὶ δ' ὦ ταλαίπωρ' ἀντὶ τῶνδε τῶν κακῶν
τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει Τροιζηνίᾳ
δώσω· κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος
πένθη μέγιστα δακρύων καρπουμένῳ
ἀεὶ δὲ μουσοποιὸς εἰς σὲ παρθένων
ἔσται μέριμνα, κοὐκ ἀνώνυμος πεσὼν
ἔρως ὁ Φαίδρας εἰς σὲ σιγηθήσεται.

num uero honores isti tanti erant, ut propter eos Hippolytus atrocissimam atque iniustissimam mortem perpessus felix uocari splendidumque castitatis accepisse praemium dici posset? hoc mihi quidem prorsus incredibile est. Euripides, ut ego arbitror, ueterem mythum secutus [62] Hippolytum, fortasse ab Aesculapio, in uitam reuocatum et a Diana immortalem redditum esse finxit. hoc etiam probabilius fit Staphyli uerbis, qui de Aesculapio hoc dicit [63]: Ἱππόλυτον ἐθεράπευσε φεύγοντα ἐκ Τροιζῆνος, κατὰ τὰς παραδεδομένας κατ' αὐτοῦ ἐν τοῖς τραγῳδουμένοις φήμας. nam si τραγῳδουμένων illorum auctor in narrando mytho ad certam quandam tragoediam respexit (quod quidem nos in medio relinquimus),

[61] u. 1423—1430.

[62] u. Naupact. l. c. Eratost. 6, 29. Verg. Aen. 7, 769. Ouid. Met. 15, 534. Staphylus ap. Sext. Emp. 1, 12. Hyg. Fab. 49. Schol. Pind. Pyth. 3, 96. Schol. Eur. Alc. 1. Seru. ad Verg. Aen. 6, 398. **Buttmann, Mythologus** 2, p. 146 sq. 149 sq.

[63] l. c.

haec neque Phaedra neque Hippolytus posterior, sed nulla nisi Hippolytus prior esse potuit. — qua argumentatione refellisse nobis uidemur Boeckhii sententiam, qui exitum tragoediae propterea solum a poëta mutatum esse censet, ut, cum Pericles eodem anno quo edita est Hippolytus posterior mortuus esset, significatio nuper defuncti magni uiri inesset in fabula [64]. quamquam id negare nolim, Euripidem, cum finem dramatis posterioris scripserit, in mente etiam habuisse mortem Periclis; neque tamen ex hac sola causa, sed ante omnia e fabularum differentia orta est diuersitas exitus.

Pauca dicenda sunt de nomine fabulae. distinguebantur duae Hippolyti ab iis, qui post Euripidem uixerunt, aut adiectis uocabulis *πρότερος* et *δεύτερος* [65] aut aliis epithetis. et alterum quidem drama cur *Ἱππόλυτος στεφανηφόρος* siue *στεφανίας* [66] appellatum sit, perspicuum est ex ipsis Hippolyti uerbis [67]:

σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω.

multo difficilius est explicare, unde prioris fabulae nomen *Ἱππόλυτος καλυπτόμενος* [68] sit exortum. sententia omnium maxime probabilis Welckeri [69] est, quamquam ne eam quidem pro certa amplecti me posse confiteor. putat enim, Hippolytum, ubi Phaedra ei amorem suum confessa est, prae pudore caput pallio obuoluere, uerba illa elocutum:

ὦ πότνι' Αἰδώς, εἴθε τοῖς πᾶσιν βροτοῖς
συνοῦσα τἀναίσχυντον ἐξῄρου φρενῶν,

quae Hippolyto sine ulla dubitatione tribuit. ceterum nos nihil, quod maiorem habeat probabilitatem, inuenimus; neque priorum opiniones iamdudum merito reiectas commemorare opus est.

Hippolytus altera posteris temporibus nonnunquam Phaedra appellata esse uidetur. Eustathi enim uerba [70]: *ἀστέον δέ, ὅτι γῆν λέγει ἀπείρονα ἀντὶ τοῦ ἄπειρον, ὡς Εὐριπίδης ἐν Φαίδρᾳ φησί*, ego ad Hippolyti uersum 763 *ἐπ' ἀπείρου τε γᾶς ἔβασαν* referre non dubito, etiamsi Fritzschio fortasse iocari uidebor [71]. praeterea in codice Florentino

[64] Graec. trag. princ. etc. p. 180 sqq. [65] Argum. Hipp. Vita Eur. u. 67 N. [66] Argum. Hipp. [67] u. 73 sq. [68] Poll. 9, 5. Schol. Theocr. 2, 10. [69] l. c. p. 739. [70] ad Il. η p. 568, 19. [71] u. annot. eius ad Ar. Thesm. 547.

quarto Hippolytus inscribitur *Φαίδρα*, sicut Bacchae *Πενθεύς*, quas inscriptiones a librario esse inuentas uix quisquam crediderit. contra Fritzschi sententia, qui post Osannum [72] deperditam tragoediam ab ipso Euripide Phaedram siue Hippolytum uelatum nominatam esse putat [73], omni caret fundamento. nihil enim probant loci Aristophanis *Μελανίππας ποιῶν Φαίδρας τε* [74] et *ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας* [75], qui ad Phaedrae personam, non ad fabulae titulum spectant, nihil porro scholiastae uerba [76] *Φαίδρας] δρᾶμα Εὐριπίδου*, quae nos, nisi testimoniis illis Eustathi et codicis Florentini, meliore iure ad Hippolytum posteriorem referimus, nihil denique illud, quod fragmentum a nobis inter Phaedrae Sophocliae fragmenta receptum [77] fortasse Euripidi est tribuendum. id autem unum, quod fortasse opinioni illi dare possit paruam quandam ueritatis speciem, Fritzschius miro modo omisit, locum Philemonis dico supra allatum, quocum congruit Eustathius [78]. hunc enim ad Hippolytum uelatum pertinere perspicuum est, quia in altera fabula *πείκη* uocabulum non reperitur. sed si ceteros locos respexerimus, nonne putabimus, errorem solum esse, quod grammaticus ille Phaedram pro Hippolyto citauerit?

Denique breuiter disputandum est de ea tragoedia, quae sub Senecae nomine nobis est tradita, in optimo codice Florentino Phaedra, in ceteris Hippolytus inscripta. etsi enim is quem nominauimus poeta graecarum tragoediarum argumenta plerumque non sine licentia — eoque infelicius quo licentius — transformauit, quaeri tamen potest, quamnam potissimum tragoediam graecam in sua tragoedia componenda ante oculos habuerit. et in Hippolyto quidem nonnulla uidemus, quae ab Euripidis fabula posteriore differunt. scaena tragoediae latinae non Troezeni est, sed Athenis, ut ego arbitror propter eam solam causam, quia tumidum doctrinae apparatum magis in describendis regionibus Atticis quam Troezeniis auctor adhibere potuit [79]. id autem multo memorabilius est, quod Venus Phaedram non propterea tantum interimit, ut Hippolytum potentiam suam aspernantem pu-

[72] ad Phil. Lex. u. *βίβλος*. [73] l. c. [74] Thesm. 547. [75] Ranae 1041. [76] ad Ran. l. c. [77] Eur. fr. 434. N. [78] ad Il. ζ, p .489, 53. [79] u. 1—27.

niat [80], sed etiam odio commota, quo totum genus Solis notam ab causam persequebatur [81]. neque enim credibile est, iram illam Veneris a ueteribus nonnunquam commemoratam [82] a poetis tragicis graecis plane esse omissam, siue in Phaedra siue in Hippolyto priore facta erat eius mentio. ceterum ipsa Venus apud Senecam in scaenam non prodit. cum utraque graeca fabula id tragoedia latina commune habet, quod Phaedra amorem suum Hippolyto ipsa confitetur. alia sunt, quae in Sophoclio tantum dramate reperimus: Phaedra post Hippolyti obitum morte se afficit, quamquam paenitentia, non timore commota, neque diuinorum honorum, quos Diana mortuo adulescenti tribuit, ulla fit mentio. praeterea, ne parua neglexisse uideamur, canes quoque in ea narratione, qua mors Hippolyti describitur, commemorantur, sicut in fragmento Sophoclis supra allato [83]. itaque si auctor fabulae latinae aliam tragoediam atque Hippolytum posteriorem, quam quidem eum nouisse propter magnam dramatis illius claritatem [84] pro certo habere possumus, imitatus est, haec nulla alia fuit nisi Sophoclis Phaedra. ac si hoc respicias, fortasse haud prorsus neglegendum sit illud, quod de fabulae latinae titulo supra attulimus.

[80] Eur. Hipp. 47 sqq. [81] Sen. Hipp. 124—127. [82] Schol. Eur. Hipp. 47. Val. Flacc. 6, 468. [83] 620 N. [84] cf. Paus. 1, 22, 2.

SIMONIS ATHENIENSIS DE RE EQVESTRI LIBRI FRAGMENTVM NVPER REPERTVM.

EMENDAVIT ET ENARRAVIT

FRIDERICVS BLASS.

Inter ea antiquitatis monumenta, quae nostra aetate diuturnae obliuioni, quae aeterna fore uidebatur, felicissimis casibus erepta sunt, locum suum cum dignitate obtinet Simonis Atheniensis de re equestri libri particula, illius qui Xenophonti praesto fuit cum de eadem materia adhuc superstitem suum librum componeret. Darembergius enim Francogallus cum ante hos undecim annos libros manuscriptos qui ad rem medicam pertinerent undique conquireret, in Cantabrigiensi hippiatricorum codice [1] cum multa alia adhuc inedita tum etiam Simonis hoc fragmentum repperit, quod etiam speciminis gratia in eo opere quod de codicibus quos dixi edidit publici iuris fecit [2]. sed illud reconditioris argumenti opus perpaucis in manus uenit, ideoque fragmentum quoque Simonis in illo angulo delitescens nostratibus quidem philologis uix innotuit, ne eis quidem, qui Wolfgangi Helbigi exemplo de Simone ipso postea scripserunt. quam ob rem ab Ottone Iahnio praeceptore dilectissimo admonefactus, ut auctoris ueteris Attici reliquias immerito lá-

[1] Codex ille in bibliotheca collegii Immanuelis repositus numerisque illic 3, 19 insignitus, forma est quadrata, scriptus autem teste Darembergio circa finem saeculi XII.

[2] Is liber ad hunc modum inscriptus est: notices et extraits des manuscrits médicaux, par le Dr. Ch. Daremberg. Paris 1853. fragmentum Simonianum reperitur p. 169 sq.

tentes denuo philologis hominibus proponerem, libenter occasione hac oblata pro uiribus meis hoc munere defungar.

Cum autem semel ad hunc scriptorem accesserim, dicendum uidetur de aetate quoque Simonis deque libro eius, e quo fragmentum illud desumptum est, uniuerso argumento; quae res non ita expeditae sunt neque faciles ad diiudicandum. scripsit autem de eis paucis abhinc annis Francogallus et ipse M. Ch. Lenormantius in libro cui titulum inposuit: 'sur la manière de lire Pausanias,' in cuius appendice inde a p. 45 de Simone longe lateque disseruit. Helbigium enim qui et ipse in diario archaeologico XVIII, p. 180 sqq. haec attigit, cum Simonem nostrum in uase picto reperire sibi uisus esset, latebat, sicuti dixi, fragmentum Darembergi ita ut copiis minus instructus ad has res accederet.

Atheniensem fuisse Simonem tum fragmenti inscriptio testatur, quae est *Σίμωνος Ἀθηναίου περὶ εἴδους καὶ ἐκλογῆς ἵππων*, tum hippiatricorum auctor anonymus p. 261 ed. Simon. Grynaei[3]: *Σίμωνι καὶ Ξενοφῶντι Ἀθηναίοις ἀνδράσι*, et Suidas duobus locis, s. uu. *τρίλλη* et *Ἄψιρτος*, quamquam posteriori loco siue ipsius Suidae siue librarii eius neglegentia Cimo pro Simone nominatus est. aetas autem scriptoris e tribus argumentis definienda est. unum illud est, quod Xenophon in sui libri ipso initio de Simone ad hunc modum loquitur: *συνέγραψε μὲν οὖν καὶ Σίμων περὶ ἱππικῆς, ὃς καὶ τὸν κατὰ τὸ Ἐλευσίνιον Ἀθήνησιν ἵππον χαλκοῦν ἀνέθηκε καὶ ἐν τῷ βάθρῳ τὰ ἑαυτοῦ ἔργα ἐξετύπωσεν· ἡμεῖς γε μέντοι ὅσοις συνετύχομεν ταὐτὰ γνόντες ἐκείνῳ, οὐκ ἐξαλείφομεν ἐκ τῶν ἡμετέρων, ἀλλὰ πολὺ ἥδιον παραδώσομεν αὐτὰ τοῖς φίλοις, νομίζοντες ἀξιοπιστότερον εἶναι, ὅτι κἀκεῖνος κατὰ ταὐτὰ ἡμῖν ἔγνω ἱππικὸς ὤν, καὶ ὅσα δὴ παρέλιπεν ἡμεῖς πειρασόμεθα δηλῶσαι.* scripserat igitur Simo de re equestri ante Xenophontem, cuius ipsius de hac re liber, id quod ex fine eius liquet, post Hipparchicum in lucem editus est. ipsum porro Hipparchicum Conrierius editor e loco VII, 3 praesertim breui ante Mantinensem pugnam compositum esse iure conligit; comparans enim illo loco Xenophon Atheniensium uires cum eis quae aduersariis eorum praesto essent

[3] Vnicae huius hippiatricorum editionis quae prodiit Basileae a. MDXXXVII, exemplar Sauppi praeceptoris comitati e Gottingensis bibliothecae copiis depromptum debeo.

diserte Boeotos neque alios quosquam nominat, qui non alio magis tempore Atheniensibus infensi erant. itaque Kruegeri[4] coniectura mirum quantum placet, Cephisodoro illi, qui Atheniensium equitibus in expeditione ad Mantineam facta praeerat, Xenophontem hunc librum destinasse, quippe filii quoque ipsius duo sub illo stipendia tum merebant. Letronnium[5] enim Lenormantiumque in diuersam partem abeuntes, cum nimis infirmis argumentis innitantur, prae alteris illis sequi non possum.

Scripsit igitur Simo ante Mantinensem pugnam, neque nimis breui ante tempore, quod si factum esset, aliter de eo locutus esset Xenophon quam fecit. neque enim diu post illam pugnam de re equestri liber scriptus esse potest, cum breui admodum temporis interuallo ipsius scriptoris mors insecuta est. habemus igitur terminum quem dicunt ante quem; si iam illum quoque qui a quo dicitur constituere cupimus, e commemoratione Miconis pictoris a Simone facta aliquo sane modo fieri id potest. testes Pollux II, 69; *ὅθεν καὶ Σίμων τοῦτο ὄνειδος τῆς ἀμαθίας Μίκωνι προήνεγκεν, ὅτι καὶ τὰς κάτω βλεφαρίδας προσέγραψεν ἵππου γραφῇ* et Hierocles ueterinarius Hippiatr. p. 173, qui eadem fere tradit. non ante Miconem igitur, quem Polygnoti Persicorumque aequalem fuisse satis constat, Simonis aetas reicienda est. nam uel aequalem ita poterat lacessere uel qui breui uel qui sat longo ante tempore uixisset, si modo pictura illa clara adhuc manebat.

His duobus argumentis usi postquam intra centum fere annórum spatium Simonis aetatem inclusimus, si longius etiam progredi uolumus, argumenti certissimi speciem habet, quod donarium illud Simonis, de quo narrat Xenophon, Demetrium Alopecensem fecisse Plinius tradit. haec enim dicit de hoc artifice (XXXIV 8 19 '§ 76 (Sillig). Demetrius (fecit) equitem Simonem qui primus de equitatu scripsit.' nemo dubitabit quin idem opus intellegendum sit cum apud Xenophontem tum apud Plinium, quodque ille de *ἵππῳ χαλκῷ*, Romanus autem de Simonis ipsius statua loquitur, iunioris neglegentiorisque scriptoris

[4] Krueger hist. phil. stud. II, 282 sq. ap. Schaeferum *Demosthenes u. s. zeit* I, 171.

[5] Letronne bibliographie uniuerselle ap. Lenormantium p. 49 sq.

uerba ad alterius normam corrigenda sint. Lenormantius sane p. 58 Xenophontem ex Plinio explicans ἵππος pro ἱππεὺς dici opinatur aeque ac ἡ ἵππος et οἱ ἵπποι loco οἱ ἱππεῖς; at talia nemo sua faciet. aequales igitur fuerunt Simo et Demetrius: quare si huius aetatem nouissemus, id quoque sciamus, quando ille uixerit. nunc autem Demetrii tempora non minus ignota sunt quam Simonis illa, sique ex eo quod Lysimachum sacerdotem Pellichum Corinthiorum ducem idem artifex aere effinxit Odofredus Muellerus [6] aliique de Demetrio aliquid efficere conati sunt, equidem non ausim admodum incertis his innisus de Simone concludere uel hariolari potius.

Sed nos nihil sapimus, qui in hac re talibus argumentis utentes desudemus neglecto illo optimo, quod produxit Lenormantii sollertia [7]. Suidas enim s. uu. Ἄψυρτος et Κίμων Cimoni Miltiadis filio hunc Simonis de re equestri librum attribuit, minime quod propinqua nomina confuderit, ut alii opinati sunt, sed quod re uera fama ita ferebat. quae sane fama contra Xenophontis testimonium stare non potest, at nunquam nata esset, nisi Simonis liber Cimoni dedicatus erroris ansam praebuisset. dedicamus autem aequalibus scilicet; itaque Cimonis aequalis Simo efficitur. quae num Lenormantius suis popularibus probauerit, nescio; at cum ego meis idem uehementer uerear ut probem, inuentori ipsi relinquere fortasse satius erit.

Diuersa ratione usus Helbigius certius aliquid inuenire uisus est. cum enim in Aristophanis Equitibus u. 242 inter equitum nomina etiam Simonis illud occurrat, pariter ibi scriptorem Simonem intellexit atque in uase picto, ubi equitis figurae Simonis nomen adscriptum extat. sed incertius hoc quoque ad aetatem hominis definiendam; quam si aliunde sciremus in illa tempora incidere, ita demum iure quodam eum ab Aristophane intellegi conligeremus, nunc autem illud ipsum quaerimus.

Itaque in incerto Simonis aetatem relinquamus necessarium est, nisi quod ultra Peloponnesiaci belli tempora eam detrudere ne Xenophontis quidem uerba facile permittunt,

[6] O. Müller *kunstgesch.* p. 101.

[7] L. c. p. 63 sq.

qui de tam uetusto auctore aliter locutus esset. illud quoque argumentum non nihil ualet, quod uerisimilius est Xenophontis temporibus talem imprimis librum conscriptum esse quam Periclis; rarius enim tum cogitata homines literis mandabant. atque cum longius progredi in hac re uix queamus, transitum iam faciamus ad argumentum libri accuratius definiendum.

Simplicissime Xenophon longe optimus testis περὶ ἱππικῆς Simonem scripsisse dicit, hoc est de eadem re de qua ipse quoque; nam et fundamentum suo operi Simonianum se substructurum esse non obscure indicat. exponit autem recentior scriptor primum de emptione equorum explicans, quaenam spectari debeant cum in pullo indomito tum in equo adulto (c. I—III), de stabulis deinde deque officiis equarii (IV—VI), denique de ipsius equitationis ratione optima. de his igitur Simo quoque scripsit omnibus, neque de uno eorum alteroue solo. congruunt fragmenta: Darembergianum enim e prima parte desumptum est, illud quod apud Xenophontem XI, 6 quodque apud Pollucem extat I, 204, e tertia. congruit Plinii testimonium, qui eo loco quem supra attuli de equitatu dicit Simonem scripsisse. oppugnant autem Suidas et hippiatricorum auctor anonymus, auctores sane non adeo locupletes ex mea quidem opinione. ueterinarius enim quem dico p. 261 haec exhibet: περὶ ἵππου εἴδους πολλεῖς γέγραπται καλῶς, ἄριστα δὲ πάντων Σίμωνι καὶ Ξενοφῶντι Ἀθηναίοις ἀνδράσι, πωλοδαμνίας δὲ παρὰ τοὺς ἄλλους μόνῳ Ξενοφῶντι. iam primum notanda hominis inscitia, qui de ea re Xenophontem optime scripsisse dicit, de qua omnino scribere noluit: cf. c. II, 1: ὅπως γε μὴν δεῖ πωλεύειν δοκεῖ ἡμῖν μὴ γραπτέον εἶναι. sed esto: de equorum forma solum Simonis opus nouerat, non de ceteris quoque illis quae tractauit Xenophon. nam Suidas quoque ἱπποσκοπικὸν tantum βιβλίον Simonem uel Cimonem, ut apud eum s. u. Ἄψυρτος scriptum extat [8], composuisse dicit, hoc est, περὶ ἵππων εἴδους uel περὶ εἴδους καὶ ἐκλογῆς ἵππων, quae est nostri fragmenti inscriptio. si igitur accurate uterque scriptor loqui uoluit, ea tantum Simonis legerat, quae nos

[8] Ex hoc loco simillima illa quae ibidem s. u. Κίμων leguntur interpolata esse uerissime censuit Bernhardyus.

quoque iam possidemus, quamuis pleniora fortasse aliquanto quàm nunc extant; quae putabimus ceteri antiqui operis partibus deletis tum sola relicta fuisse. quod autem alio loco Suidas tamquam hippiatricorum auctorem Simonem laudat, s. u. *τρίλλη*: *γέγραπται ἐν τῷ τοῦ Ἀθηναίου Σίμωνος ἱππιατρικῷ περὶ γνωρισμάτων φλεβῶν, ὅτι καὶ ἀπὸ τῆς τρίλλης εἰσὶ φλέβες δύο*, neglegentius eum scripsisse censeo, cum enim de uenis illa, ubicunque extiterunt, inter hippiatrica legisset, haud absone hippiatrum Simonem appellare potuit. nam de peculiari aliquo Simonis opere de equorum medicina hoc solo testimonio nisus non cogitauerim. iam igitur fragmenta exhibenda sunt quae e Simonis de re equestri libro adhuc manserunt, Darembergianum quidem primum, quod et initium eius fuit, deinde reliqua, nisi quod de illius conditione pauca prius praefanda sunt. genuinum id esse ex eo statim elucebit, quod multa et apud Xenophontem et apud Pollucem ex eo tamquam Simonis afferuntur; sed non minus certum id putandum est, multa aduersa demum expertum ad nostram aetatem peruenisse. si enim Darembergi apographo fides est — est autem habenda certe, quod aliud non praesto est — multis lacunis dilaceratum corruptelisque confoedatum et ne ab interpolationibus quidem liberum, quae partim primo statim adspectu quisque cernit, partim e comparatione eorum conliguntur, quae Pollux e Simone laudauit ampliorum multo pleniorumque. non enim cum Lenormantio [9] rudem antiquitatem scriptoris culpabimus, si qua inconcinno mutilaque leguntur: qui si Hierocli aequalis fuerit, multo magis equidem talia ei condonauerim quam nunc ueteri Attico, etiamsi is reuera, quod ego quidem praefracte negauerim, Cimonis temporibus uixisset. adhibendus autem est ad emendationem maxime quidem Pollux, qui uniuersum Simonis opus nouerat permultaque ex eo in suam de equitatione compilationem transtulit; deinde etiam Apsyrtus ueterinarius, qui in asini admissarii descriptione hippiatr. p. 53 sq. et ipsa a Simonis equi descriptione non pauca mutuatus est. unum addo, quod melius fortasse etiam instructi essemus, si Darembergius ea quoque hippiatricorum capita inedita protulisset, quorum nunc inscriptiones tantum indi-

[9] L. c. p. 55 adnot.

cauit; multo enim propius ipsam rem equestrem attingere uidentur quam cetera pridem typis mandata [10].

[10] De eis Darembergius p. 167 ad hunc modum loquitur: 'P. 1—11 contiennent quelques chapitres dont on ne trouve aucune trace dans le texte imprimé, et qui ne font pas corps avec le reste de la compilation.' titulos eorum subinde adscripsit qui sunt: *Ἀρετῆς ἵππου πρόγνωσις ἐκ πώλου. Ἵππου ὀχέτου ἔκλεξις καὶ χρόνος τῆς ὀχείας. Κυουσῶν ἵππων ἐπιμέλεια. Πώλων ἀπὸ γέννας ἐπιμέλεια. Πότε δαμασθῆναι δεῖ τοὺς ἵππους καὶ πῶς. Ἵππου ἀγαθοῦ δοκιμασία. Ἵππου σκολιοῦ δοκιμασία. Ἵππων φύσεις κατὰ ἔθνος.*

ΣΙΜΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΥ ΠΕΡΙ ΙΠΠΙΚΗΣ.

1.

[Σίμωνος Ἀθηναίου περὶ εἴδους καὶ ἐκλογῆς ἵππων.]

Δοκεῖ [δέ] μοι περὶ ἰδέας ἱππικῆς [ἐπισκεπτέον εἶναι] πρῶτον, [εἴ τις] ἐπιθυμεῖ εἰδέναι καλῶς τοῦτο τὸ μάθημα. [Πρῶτον μὲν οὖν χρὴ] τὴν πατρίδα δια[γι]γνώσκειν, ὡς ἔστι κατά γε τὴν Ἑλλάδα χώραν κρατίστη ἡ Θεσσαλία. Τὸ δὲ μέγεθος τρία τῶν ὀνομάτων ἐπιδέχεται· μέγα, μικρὸν, εὐμέγεθες, ἢ εἰ βούλει σύμμετρον, καὶ δῆλον ἐφ' οὗ τῶν ὀνομάτων ἁρμόσει ἕκαστον. κράτιστον δὲ ἐν παντὶ ζώῳ ἡ συμμετρία. χρόα δὲ οὐκ ἔχω ἵππων ἀρετὴν ὁρίσαι· δοκεῖ δέ μοι ὅμως [χαίτη] ἥτις ὁμόχρους ἐστὶν αὐτὴ ἑαυτῇ ὅλη καὶ εὔθριξ μάλιστα ἀρίστη εἶναι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, [ἔτι δὲ] ἡ πορρωτάτω ὄνου καὶ ἡμιόνου. ὃ δὲ οὐδενὸς εἰς διάσκεψιν ἔλαττον, δεῖ τὸν

5. Veterinar. anonym. p. 261: *ἐν ὅλῃ δὲ τῇ Ἑλλάδι διαφέροντες οἱ Θεσσαλοί.* 10. Pollux I, 216: *ἀμείνων δὲ ἡ ὁμόχρως χαίτη καὶ εὔθριξ.* id. 189: *χαίτη εὔθριξ.*

1. Cod. *ἐκγλογῆς.*

2 sq.: Cod.: *Δ. μοι π. ἰδ. ἱππ. ἐπιθυμεῖ πρῶτον εἰδέναι κ. τ. τ. μάθημα τὴν πατρίδα διαγνώσκειν.* inserui quae male abesse uidebantur; desunt autem in initio quoque quaedam, nam de uniuersa re equestri opus non ita incipi poterat. singula praestare me non posse libenter concedo.

5. *κατά τε* cod... num prorsus sana integraque haec sententia sit dubito.

10 *χαίτη* e Polluce addidi.

11. cod. *ὡς ἐπὶ πολλῷ ἢ πορρωτάτω.*

ἵππον ἄνω μὲν εἶναι βραχὺν, κάτωθεν δὲ μακρὸν, οἷον ἀπὸ μὲν τῆς ἀκρωμίας ἐπὶ τὰ ἰσχία βραχὺ τὸ χωρίον ἔχειν, ἀπὸ δὲ τῶν ὀπισθίων σκελῶν ἐπὶ τὰ ἔμπροσθεν μακρὸν ὡς πλεῖστον. εἶτα εὔποδα εἶναι. ὁπλὴ μὲν οὖν ἀγαθὴ ἵππῳ [ἀγαθῷ] ἡ [τὰ τοῦ ἵππου σκέλη] ἐλαφρὰ καὶ εὔφορος, καὶ μήτε πλατεῖα μήτε ὑψηλὴ ἄγαν, [ἔτι δὲ ἣ σαρκὸς μὲν] ὀλίγον, τὸν δὲ ὄνυχα παχὺν ἔχει. ἔστι δὲ αὐτὸς [τε] τεκμήριον καὶ ὁ ψόφος τῆς ὁπλῆς τῆς ἀγαθῆς· κυμβαλίζει γὰρ ἡ κοίλη μᾶλλον ἢ ἡ πλήρης καὶ σαρκώδης. τὸ δὲ μετακύνιον ἐχέτω ὑγρὸν, κυνοβάτης δὲ μὴ ἔστω· δασέα δὲ τὰ παρὰ τὰς κνήμας [καὶ] τὰ περὶ τὴν περόνην [ἰσχία] καὶ τὴν κνήμην καὶ νευρώδη καὶ ἄσαρκα ὡς μάλιστα ἄχρι τοῦ γόνατος, τὰ δὲ ἄνωθεν τούτου καὶ σαρκωδέστερα καὶ ἰσχυρότερα. τὴν δὲ διάστασιν τοῖν σκελοῖν ἐχέτω ὡς μεγίστην, [ὑπάρξει γὰρ αὐτῷ διὰ πλείστου τὰ σκέλη ῥίπτειν.] τὰ δὲ στήθη μὴ στενὰ ἔχων λίαν, μηδὲ πλατέα ἄγαν [ἄριστος ἂν εἴη], καὶ τὴν ὠμοπλάτην ὡς μεγίστην καὶ πλατυτάτην. παρὰ δὲ τὴν σιαγόνα ὁ αὐχὴν ἔστω λεπτὸς, ὑγρὸς, ἀνάσιμος εἰς τοὔπισθεν· πάλιν δὲ ἐκ τοῦ λεπτοτάτου

7. Apsyrt. p. 54 inter laudes asini: *ὄνυχα παχύν*. Pollux I, 191 inter equi uitia: *ὄνυχες λεπτοί*. ib. Xenoph. I, 3: *καὶ τῷ ψόφῳ δέ φησι Σίμων δήλους εἶναι τοὺς εὔποδας, καλῶς λέγων· ὥσπερ γὰρ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή.* e Xenophonte Pollux I, 188. 9. Poll. I, 191. *ὁπλαὶ πλήρεις σαρκώδεις.* — Apsyst. l. c.: *τὰ μεσοκύνια μὴ λίαν ὑψηλὰ μηδὲ ταπεινὰ, μηδὲ κυνοβάτης ἔστω.* 10 sq. Id. *τὰ ὑπὸ τὰ γόνατα σκέλη μὴ μεγάλα, ὀστώδη ἄσαρκα, καὶ νευρώδη μᾶλλον.* Poll. I, 188: *κνῆμαι ἄσαρκοι.* 11 sq. Aps.: *τὰ ἐπάνω τῶν γονάτων παχέα καὶ σαρκώδη καὶ ἰσχυρὰ καὶ ὡς μάλιστα διάστασιν ἔχοντα.* 13 sq. Poll. I, 193: *κακὸς δὲ, εἰ τὴν διάστασιν ἔχει τῶν σκελῶν ὡς μεγίστην· ὑπάρξει γὰρ αὐτῷ, Σίμων λέγει, διὰ πλείστου τὰ σκέλη ῥίπτειν*; ubi *κακὸς* procul dubio corruptum est.

1 et 3. cod. *μικρόν.*
2. cod. *βραχές*
3. . *ὀπισθίων μερῶν.*
4. *ἀγαθῷ* melius abest, nisi grauior omnino hic corruptela latet.
5. *τὰ τοῦ ἵππου σκέλη* glossema uidetur.
6. *ὀλίγον δὲ τὸν ὄνυχα παχὺν ἔχει.* possis haec quoque non uno modo supplere, eam quam ego uiam ingressus sum suadent quae secuntur: *κυμβαλίζει γὰρ ἡ κοίλη μᾶλλον ἢ ἡ πλήρης καὶ σαρκώδης.*
7 *τε* delendum.
10. cod. *δασέα δὲ καὶ παρὰ τ. κν. τὰ περὶ τ. π. ἰσχία*, quod postremum uocabulum locum habere nequit. nisi *ἔστω* ex antecedentibus repeti potest, uerbum etiam supplendum erit.
12. *γονάτου* cod.
14. *ὑπάρξαι — ῥίπτειν* e Polluce l. c. inserui. plures fortasse lacunas tales explere non contingit.
16. *ἄριστος ἂν εἴη* uel simile quid desideratur.
18. *ὑγρὸν* et *τοὐπίσθων* cod.

εἰς τὸ πρόσθεν κατακαμπτέσθω. καὶ τὴν κεφαλὴν προαγέτω δή, καὶ μὴ βραχὺς ἔστω ὁ αὐχήν. τὴν δὲ κορυφὴν ὑψηλὴν ἐχέτω, ἡ δὲ κεφαλὴ ἐπίσιμος [ἔστω], ἐλαφρά· τοὺς δὲ μυκτῆρας [δεῖ εἶναι] ὡς μεγίστους, τὰς δὲ γνάθους μὴ παχείας καὶ ὁμαλὰς πρὸς ἀλλήλας, τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς μεγάλους, ἔξω δὲ ὡς μάλιστα [κειμένους] καὶ ἰδεῖν λαμπρούς, τὰ δὲ ὦτα μικρὰ καὶ τοὺς ὀδόντας, τὴν δὲ σιαγόνα ὡς μικροτάτην, τὰ δὲ μεταξὺ τοῦ αὐχένος καὶ τῆς σιαγόνος ὡς λαγαρώτατα. τὴν δὲ ἀκρωμίαν ὡς μεγίστην [ἐχέτω] καὶ τὴν ῥάχιν, τὰς δὲ πλευρὰς πλατυτάτας καὶ καθειμένας κάτω, τὴν [δὲ] ὀσφὺν ἐχέτω ὑγράν (γνοίη δ' ἄν τις τὴν ὑγράν, εἰ μὴ ἐν ἀμφοῖν τοῖν σκελοῖν σταίη, ἀλλ' ὡς τὰ πολλὰ εἰς τὸ ἕτερον μεταβαίνοι [τοῖν ὄπισθεν σκελοῖν])· τὸ δὲ ἰσχίον μέγιστον καὶ πλατύτατον, τὴν δὲ λαγόνα ὡς μικροτάτην. [αἱ πλευραὶ καὶ αὐταὶ ἔστωσαν πλατεῖαι, καὶ τὸ ὀσχίον μέγα, μικρότατον δὲ καὶ ἀσθενέστατον τοῦ ἵππου ἡ σιαγόνα]. τοὺς δὲ μηριαίας δεῖ μὴ σαρκώδεις εἶναι, τοὺς δὲ ὄρχεις ἐχέτω μικρούς. τὸ [δὲ] μεταξὺ τῶν μηριαίων μὴ μετέωρον ἐχέτω [δὲ] μηδὲ πληρές, ἀλλ' ὀλίγῳ εὐκολπότερον, καὶ τὴν ἕδραν ὡς μικροτάτην καὶ ὡς ποῤῥωτάτω [τοῦ] ἰδεῖν. τὴν δὲ κέρκον μετέωρον ἐχέτω καὶ ἐκ τῶν ἰσχίων δασεῖαν καὶ μακράν. περὶ μὲν οὖν εἴδους ἵππων ταῦτα, καὶ ὅτι

3. Poll. I, 191 inter uitia equi: *κεφαλὴν βαρεῖαν σαρκώδη.* 20. Poll. I, 190: *οὐρὰ προμήκης· Σίμων δ' αὐτὴν καὶ κέρκον καλεῖ.*

1 *τὰ πρόσθεν* cod. ib. *προαγέτω δέ.*

3. *ἐπισιμοτάτα* cod.; sed superlatiuus locum in hoc adiectiuo non habet.

3. 4. *ἔστω* et *δεῖ εἶναι* inserui quod tamen ne quis in eam partem excipiat quasi insuauissimam hanc sententiam hoc modo iam sanatam putem: Simo certe magis uariauit constructiones neque tam tenuem et exsuccam descriptionem fecit. mutaui autem datiuos *τῷ δὲ μυκτῆρι ὡς μεγίστῳ* et l. 5 sq. *τῷ δὲ ὀφθαλμῷ μεγάλῳ — κειμένῳ — λαμπρῷ*, qui explicatu carebant, addidique l. 6 ad *ἔξω κειμένῳ*.

9. *ἐχέτω* addidi.

10 ad *πλευρὰς καθειμένας κάτω* cf. Xen. I. 12: *πλευρὰ ἡ βαθυτέρα καὶ πρὸς τὴν γαστέρα ὀγκωδεστέρα.* ibid. *δέ* addidi.

12. *τοῖν ὄπισθεν σκελοῖν* glossema uidetur.

13. *πλατύν* cod.

14. *μικρότατον* cod. ibid. sq. *αἱ πλευραὶ — σιαγόνα* si quid aliud interpolata sunt, quae turbent totum nexum contineantque nihil quod non antea iam dictum esset. itaque *σιαγόνα* soloecismus offensioni non est.

16. *μηρίας* cod., sed et postea *μηριαίων* et ita locuntur Pollux et Xenopho.

17. *δὲ* post *τὸ* inserendum, post *ἐχέτω* delendum erat.

18. cod. *ὀλίνων ἐνκοπλώτερον*, quod em. Darembergius. possis etiam *ὀλίγον* reponere.

19. cod. *μικρότατον. τοῦ* ante *ἰδεῖν* necessario addendum.

ὁ μὲν ἅπαντα ταῦτα μάλιστα ἔχων ἄριστος, δεύτερος δὲ ὃς τὰ τούτων ἔχει πλεῖστα καὶ ὅσα μεγίστας ὠφελείας παρέχεται. ἕλκεται δὲ πῶλος ἐκ τῶν πωλίων διέτης. περὶ [δὲ] τοῦτον τὸν χρόνον βάλλει τοὺς πρώτους ὀδόντας τριακοντάμηνος γεγονὼς, τοὺς δευτέρους δὲ ἐνιαυτῷ ὕστερον, καὶ τοὺς τελευταίους ἑτέρῳ ἐνιαυτῷ καὶ ἐν ἐλάττονι χρόνῳ, ἀκμαιότατος [δὲ] αὐτὸς ἑαυτοῦ γίνεται εἴς τε ποδώκειαν καὶ ἰταμότητα ἔργων ἑξέτης γεγονώς.

2.

Suid. s. u. *τρίλλη: γέγραπται ἐν τῷ τοῦ Ἀθηναίου Σίμωνος ἱππιατρικῷ περὶ γνωρισμάτων φλεβῶν, ὅτι καὶ ἀπὸ τῆς τρίλλης εἰσὶ φλέβες δύο.*

3.

Pollux II, 69: *ὅθεν καὶ Σίμων τοῦτο ὄνειδος τῆς ἀμαθίας Μίκωνι προήνεγκεν, ὅτι καὶ τὰς κάτω βλεφαρίδας προσέγραψεν ἵππου γραφῇ.* — Hierocles Hipp. p. 173: *καίτοι πολλοῖς τὰ τοιαῦτα ἠγνοήθη, ὥςπερ Μίκωνι τῷ παλαιῷ, ὃς ᾤετο ἵππου καὶ τὸ κάτω βλέφαρον ἔχειν τρίχας, ἃς καλοῦσιν Ἕλληνες βλεφαρίδας· καθάπτεται γοῦν αὐτοῦ Σίμων τὴν ἄγνοιαν ταύτην αἰτιώμενος.*

4.

Xenophon *περὶ ἱππικῆς* XI, 6: *ἃ μὲν γὰρ ὁ ἵππος ἀναγκαζόμενος ποιεῖ, ὥςπερ καὶ Σίμων λέγει, οὔτ' ἐπίσταται οὔτε καλά ἐστιν.*

5.

Pollux I, 194: *καὶ τοῦτο δὲ Σίμωνος· εὔδρομος δὲ ἵππος ὁ ὀλίγον αἴρων ἀπὸ τῆς γῆς ἐν τῷ τρέχειν τὰ σκέλη.*

6.

Id. I, 204: *ἐλαυνέτω δὲ τοῦτον κατ' ἀρχὰς ὁ ἐπιβάτης εἰς τὰ ἄπεδα καὶ λεῖα, τὰς δὲ προςβάσεις καὶ τὰς ἐκεῖθεν καθ-*

3. Apsyrt. p. 263: *διετῆ γεγονότα τὸν πῶλον ἐκ τῆς ἀγέλης ἕλκουσι καὶ δαμάζουσι.* ib. cf. Apsyrt. p. 226, qui in re consentit, in uerbis sane multum diuersus est.

3. *δὲ* addidi. 6. cod. *ἀκμαῖος αὐτὸς ἑαυτοῦ*, quod emendaui.

ὀδοὺς μὴ αὐτίκα, ἀλλὰ τὸν ἵππον πλαγιαζέτω (οὕτω γὰρ ὁ Σίμων ὠνόμασεν). ex his imprimis, quae de curatione et exercitationibus equorum Pollux compilauit, satis est uerisimile permulta Simoni deberi atque fere omnia quae apud Xenophontem non exstant; sed non semper ipsa uerba scriptorum ille descripsit.

7.

Id. I, 198: ἀποδεέστερος· Σίμωνος τὸ ὄνομα: scil. ἵππος.

QVAESTIONES CRITICAE DE NONNVLLIS ARISTOPHANIS PLVTI LOCIS.

SCRIPSIT

ALBERTVS DE BAMBERG.

Inter omnes constat, nullam Aristophanis comoediam minus corruptam nobis seruatam esse quam Plutum. sed ne in hac quidem fabula, qui penitus perspicere planeque cognoscere uoluerit poetae sententias, sine magno detrimento poterit ab arte hermeneutica, cum qua a natura arctissimis coniuncta est uinculis, criticam artem diuellere, diuolsam abicere. atque ut non infructuosum fuisse hucusque criticorum diligentiam in hanc fabulam conlatam ex magno apparet locorum felicissime emendatorum numero, ita ne hodie quidem artem criticam munere suo defunctam esse spero fore ut etiam ex his quaestionibus criticis, quas occasione data quae in lucem ederentur non indignas duxi, intellegatur. quibus si id assecutus ero, ut difficultates quaedam, quae doctissimorum hominum ingenii aciem fugerunt, non iam lateant, contentus ero; laetabor, si emendationibus probabilibus eas etiam remouero.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ.

καὶ σύ γ' ἀντιβολῶ πιθοῦ,
καὶ μή μ' ἀπολίπῃς· οὐ γὰρ εὑρήσεις ἐμοῦ
ζητῶν ἔτ' ἄνδρα τοὺς τρόπους βελτίονα.
μὰ τὸν Δί' οὐ γὰρ ἔστιν ἄλλος πλὴν ἐγώ.

Nemo negauit iure Fischerum ad uerba quae sunt *μὰ τὸν Δί' οὐ γὰρ ἔστιν ἄλλος πλὴν ἐγώ* suppleri iussisse *ἀγαθὸς*.

cui si obsecuti erimus, Chremylum haec habebimus dicentem: *noli me relinquere; neque enim inuenies, si quaesiueris, hominem me probiorem; per Iouem, nam praeter me nemo probus est.* priore igitur loco, ipso quemquam esse *probiorem*, hoc loco etiam hoc negat, praeter ipsum quemquam esse *probum*. uides hoc multo latius patere illo; id ipsum igitur quo solo efficitur positiuum Aristophanem omissurum fuisse non facile tibi persuadebis. sed ut largiamur, quod concedere non possumus, ἀγαθὸς ad οὐ γάρ ἔστιν ἄλλος πλὴν ἐγώ facile suppleri, haec uerba neque Chremyli moribus neque Aristophanis consuetudini satis conueniunt. is enim neque parcus neque prodigus esse solet uerborum, sed, ut decet poetam, eo scribendi genere uti, quod inter nimiam breuitatem nimiamque abundantiam medium sit. a se ipse igitur quodammodo desciuisset, si postquam u. 105, quae dicenda erant, planissime plenissimeque dixerat, prorsus superfluum addidisset u. 106. Chremylus autem, qui u. 97 ex Pluto quaerit, num iam ad *probos* homines migraturus sit, qui u. 280 sq. sibi socios futuros esse dicit, quicunque ut *probi* penuria oppressi fuerint, qui inde a u. 489 non tam suam quam omnium bonorum hominum caussam dicit, si sibi constare uoluerit, non poterit negare, praeter ipsum quemquam esse probum. noli uero mihi obuertere u. 99; is enim nescio an rectius Carioni tribuatur, quem magis etiam Chremylo hominum genus contemnere ex uersibus 153 sqq. discimus. sed ut hic uersus iure Chremylo adsignetur, tamen interest aliquid, utrum ille dicat, se per longum tempus non uidisse iustum hominem, an, praeter se neminem esse probum. his accedit, quod Chremylus uerbis οὐ γὰρ εὑρήσεις ἐμοῦ ζητῶν ἔτ' ἄνδρα τοὺς τρόπους βελτίονα haud dubie sibi prorsus satisfacit, eaque quae in libris addit, multo magis idonea sunt, quibus infringatur, quam quibus augeatur Pluti fides.

Quae omnia cum ita sint, dubitari nequit, quin Chremylus hoc uersu priuandus sit; Aristophanes scilicet non item. iam uero si secutus sermonis leges ad οὐ γάρ ἔστιν suppleueris βελτίων, facile intelleges, haec uerba esse Carionis. is igitur postquam erus dixit: *non inuenies hominem me probiorem*, ad eundem Plutum et ipse conuersus hoc addit: *per Iouem, non inuenies; nam nemo ero meo probior est praeter me ipsum*, ita ut lepidissime illius uerba et con-

firmet et infirmet; quo nihil magis congruit cum Carionis moribus, qui u. 18 sqq. satis acriter in Chremylum inuehitur, eundem ubi u. 46 adloquitur uerbis utitur *ὦ σκαιότατε*, inde a u. 253 omni modo ludit senes ingenuos eroque amicos.

ΠΛΟΥΤΟΣ

ὁρᾶτε.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

μὴ φρόντιζε μηδὲν ὦγαθέ.
ἐγὼ γάρ, εὖ τοῦτ' ἴσθι, κἂν δέῃ[1] *μ' ἀποθανεῖν,*
αὐτὸς διαπράξω ταῦτα.

Ad primum uersum Fischerus haec adnotat: 'ὁρᾷν sequentibus particulis *μὴ* et *ὅπως μὴ* ualet i. q. *φυλάττεσθαι*, cauere. iam uero cum res ipsa tum u. 217. docet, imp. *ὁρᾶτε* absolute positum esse, ita ut intell. *μὴ διαπράξητε ταῦτα.*' in hac interpretatione, in qua omnes qui secuti sunt editores acquieuerunt, ego non possum acquiescere; nego enim *ὁρᾷν* non sequenti *μή* uel *ὅπως μή* idem significare quod Latinorum *cauere*. quod si iure nego recteque Fischerus ex proximis Chremyli uerbis intellegi dixit, Plutum eum cauere iussisse, aut enuntiatum, quod ab *ὁρᾶτε* penderit, intercidisse censendum, aut quocunque modo, ut tale enuntiatum non iam desideretur, efficiendum est. quarum emendandi rationum quam altero loco posui, cum per se sine dubio multo probabilior sit priore, huic loco adhibendam duco. neque uero reperies, quomodo facilius, quod dixi, efficias quam ut Chremylum interrumpentem facias Plutum. scribe igitur:

ΠΛΟΥΤΟΣ

ὁρᾶτε μή —

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

φρόντιζε μηδὲν ὦγαθέ.

et hunc locum omni illa difficultate liberaueris idque eo usus emendationum genere, quo uix aliud certius et ad persuadendum aptius est.

[1] De hac scriptura uide quae Kockius adnotat ad Ran. 265.

Sed quod sentio dissimularem, si hunc locum iam persanatum esse dicerem. duo enim sunt, quae etiamnunc mihi displicent, unum, quod Pluti uerba iis quae antecedunt *ἀσυνδέτως* addita sunt, alterum, quod Plutus postquam in proximis cum solo Chremylo collocutus est, hic, ubi non habet, cur Carionis rationem habeat, alterius personae utitur numero. quae si quis mecum senserit, ipse intelleget, scribendum esse:

ΠΛΟΥΤΟΣ

ὅρα δὲ μὴ —

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

φρόντιζε μηδὲν ὦγαθε.

ΚΑΡΙΩΝ

ἔχων ἀφῖκται δεῦρο πρεσβύτην τιν' ὦ πονηροὶ
ῥυπῶντα κυφὸν ἄθλιον ῥυσὸν μαδῶντα νωδόν·
οἶμαι δὲ νὴ τὸν οὐρανὸν καὶ ψωλὸν αὐτὸν εἶναι.

ΧΟΡΟΣ

ὦ χρυσὸν ἀγγείλας ἐπῶν πῶς φῄς; πάλιν φράσον μοι.
δηλοῖς γὰρ αὐτὸν σωρὸν ἥκειν χρημάτων ἔχοντα.

ΚΑΡΙΩΝ

πρεσβυτικῶν μὲν οὖν κακῶν ἔγωγ' ἔχοντα σωρόν.

ΧΟΡΟΣ

μῶν ἀξιοῖς φενακίσας μ' ἔπειτ' ἀπαλλαγῆναι
ἀζήμιος, καὶ ταῦτ' ἐμοῦ βακτηρίαν ἔχοντος;

In his uersibus difficultates insunt satis magnae, quae editores ideo, opinor, fugerunt, quia singulis tantum uerbis operam dederunt explicandis. nam quae Fischerus de sententiarum ratione et conexu ad u. 270 dicit: 'Carion negat se dixisse, Chremylum uenisse cum Pluto h. e. diuitem, ut senex ille recte suspicatus erat, sed ut senes inludat, ait, se dixisse tantum, Chremylum domum uenisse cum sene incommodis senilicus omnibus cumulato,' minime sufficere facile quisque concedet.

Ac primum quidem non magis intellegimus, quomodo chorus, postquam Chremylum cum sene omnibus senilibus malis cumulato aduenisse audiuit, tanta exultare possit lae-

titia, quantum produnt uerba ὦ χρυσὸν ἀγγείλας ἐπῶν πῶς φής; quam unde colligere possit, senem illum magnam adtulisse pecuniam; nam in uersu 269 αὐτὸν ad senem referendum esse, uti recte iam Schlegelius animaduertit [1], apparet ex Carionis responso. deinde ne ea quidem, quae altero loco chorus eidem Carioni dicit, excusari possunt: cur enim ei irascitur? nonne suo iure usus erat, cum falsam illam sententiam, quam chorus ex ipsius uerbis conceperat, corrigebat eique in mentem reuocabat, quae dixerat, minime illa idonea, ex quibus ullam spem hauriret? quo igitur iure chorus ei, qui neminem unquam fefellerat, quod ipsum fefellerit, exprobrat?

Hae difficultates cum tantae sint, ut dubitari non iam liceat, quin hic locus grauiter corruptus sit, noli mirari, si ei non ita lenibus succurremus medelis.

Apparet poetam non posse uersus 266. 267 eis, quae choros dicit ὦ χρυσὸν κτλ. praemisisse; talia enim choro omnem spem ereptura, multoque magis apta fuissent, quibus aegro animo responderet, quam quibus gauderet. eiectis uero his duobus uersibus altera quam supra tetigimus difficultas remanet; nondum enim intellegitur, quomodo chorus inde quod Cario Chremylum cum sene aliquo aduenisse dixerat, concludere possit, hunc aduenisse diuitiis cumulatum, quae difficultas non uideo quo alio modo remoueri possit nisi ut intercidisse censeamus unum uel duos uersus, quibus Cario senem illum choro salutiferum esse extiturum indicauerit. iam si cum hoc loco uersus 284. 285 contuleris, ubi Cario haec dicit:

ἀλλ' οὐκέτ' ἂν κρύψαιμι. τὸν Πλοῦτον γὰρ ὦνδρος ἥκει
ἄγων ὁ δεσπότης, ὃς ὑμᾶς πλουσίους ποιήσει

fortasse et ipse talem fere uersum intercidisse suspicaberis, qualis hic est:

ὃς πάντας ὑμᾶς ὀλβίους καὶ πλουσίους ποιήσει.

Talia si audiuerat chorus habebat sane cur gauderet undeque senem diuitiis cumulatum aduenisse conligeret. quae autem ad tantam chori laetitiam euertendam Cario dicit: πρεσβυτικῶν μὲν οὖν κακῶν ἔγωγ' ἔχοντα σωρόν, ab illo intellegi non poterant nisi adiectis, quae supra abiecimus,

[1] Animaduersiones de singulis Aristophanis Pluti locis p. 7.

uerbis *ῥυπῶντα κυφὸν ἄθλιον ῥυσὸν μαδῶντα νωδόν· οἶμαι δὲ νὴ τὸν οὐρανὸν καὶ ψωλὸν αὐτὸν εἶναι.* adiectis uero non solum intellegi poterant, uerum etiam non poterant non mouere chori bilem. iam igitur quo melius, quid uelim, intellegatur, hos uersus nouo ordine dispositos subiciam:

ΚΑΡΙΩΝ

265 *ἔχων ἀφῖκται δεῦρο πρεσβύτην τιν' ὦ πονηροί,*
(ὃς πάντας ὑμᾶς ὀλβίους καὶ πλουσίους ποιήσει)

ΧΟΡΟΣ

268 *ὦ χρυσὸν ἀγγείλας ἐπῶν πῶς φῄς; πάλιν φράσον μοι.*
δηλοῖς γὰρ αὐτὸν σωρὸν ἥκειν χρημάτων ἔχοντα.

ΚΑΡΙΩΝ

πρεσβυτικῶν μὲν οὖν κακῶν ἔγωγ' ἔχοντα σωρόν
266 *ῥυπῶντα κυφὸν ἄθλιον ῥυσὸν μαδῶντα νωδόν·*
οἶμαι δὲ νὴ τὸν οὐρανὸν καὶ ψωλὸν αὐτὸν εἶναι.

ΧΟΡΟΣ

271 *μῶν ἀξιοῖς φενακίσας μ' ἔπειτ' ἀπαλλαγῆναι.*
ἀζήμιος, καὶ ταῦτ' ἐμοῦ βακτηρίαν ἔχοντος;

ΧΟΡΟΣ

διεῤῥαγείης ὡς μόθων εἶ καὶ φύσει κόβαλος,
280 *ὅστις φενακίζεις, φράσαι δ' οὔπω τέτληκας ἡμῖν,*
[ὅτου χάριν μ' ὁ δεσπότης ὁ σὸς κέκληκε δεῦρο]
οἳ πολλὰ μοχθήσαντες οὐκ οὔσης σχολῆς προθύμως
δεῦρ' ἤλθομεν, πολλῶν θύμων ῥίζας διεκπερῶντες.

Bergkius et Meinekius uersum 281 iure delendum esse censuerunt; nam non solum in codibus Rauennate et Veneto [1] omissus est, sed etiam ne iota quidem mutato paullo ante u. 260 legitur, quali eiusdem uersus repetitione ab Aristophanis ingenio atque arte nihil magis abhorret. quid? quod eum a male sedula manu additum esse luculentissime inde apparet, quod *με* singularis numerus priori quidem loco, quippe ubi antecedant uerba *πρὶν ταῦτα καὶ φράσαι μοι,* aptissimus in hunc minime quadrat, quoniam et antecedit *ἡμᾶς* et proxime secuntur *οἳ — μοχθήσαντες — ἤλθομεν.*

[1] De Veneto testis est Meinekius.

ac ne hoc quidem nullam habet offensionem, quod breui spatio intermisso u. 283 δεῦρο uocabulum repetitur. hic uersus igitur haud dubie delendus est.

At ne sic quidem in eis, quae hoc loco leguntur, acquiescere possumus; ipsi enim φράσαι uerbum, quo carere non potest, obiecto priuauimus. quod damnum ut repararem, ego olim οὔπω uocabulo in οὕτω commutato chorum hoc dicentem feceram: *et tali modo nobiscum colloqui ausus es.* haec ipsa uero coniectura, quam intolerabilem esse, si quis φράζειν uerbi notionem et usum cognouerit et quid elegans sit, quid non, sentire consueuerit, facile intelleget, me docuit, hunc uersum, qui sanitatis speciem prae se fert, non immutandum esse. itaque iterum necessitate quadam eo adducimur, ut inter u. 280 et u. 282 lacunam esse suspicemur. qualia uero uerba intercidisse putanda sint, uelut ex hoc exemplo intellegi licet:

τί καὶ θέλων ὁ δεσπότης ὁ σὸς κέκληκεν ἡμᾶς.

nam aliud quicquam nisi cur omnino arcessiti fuerint senes ex Carione quaerere non possunt, quem quaecunque de diuitiis illis a Chremylo adlatis dixerat ementitum esse, simulac uerba πρεσβυτικῶν μὲν οὖν κακῶν κτλ. audiuerunt, sibi persuaserant. ultima eius, quem ego feci, uersus uerba maiore fortasse cum fiducia ipsius Aristophanis esse dices, quoniam persimilia sunt eis, quibus proximus uersus finitur, nec raro ὁμοιοτίλευτον, ut librariorum oculi aberrarent, effecisse constat. talibus uero non ita multum tribuendum esse, non est, cur diserte moneam; nam ubicunque codices et testes nos prorsus deficiunt, de ipsius poetae uel scriptoris uerbis uere indagandis desperandum idque solum quaerendum est, sententia qualis apta sit. noli igitur opinari nos id egisse, ut, quae iamdudum in Orcum descenderunt, Aristophanis uerba ex tenebris in lucem reuocaremus; talia enim nos, qui non ἀεροβατεῖν, sed firmis pedibus incedere didicimus, uatibus relinquimus, qui tamen bene agent, si non exspectabunt, dum umbras, quae ipsis reuixisse uidentur, et ipsi oculis nos occupare fateamur. hoc loco id potissimum cauere uoluimus, ne iusto similiores euaderemus interpolatori, qui quam nunc suscepimus uersus pangendi operam, ea se supersedere posse ratus u. 260 inter u. 280 et 282 intrusit.

348 *ἔνι γάρ τις ἔνι κίνδυνος ἐν τῷ πράγματι.*

Offendo in repetita uocula quae est ἔνι. talis enim repetitionis quod solum adtulerat exemplum Spanhemius Lysistr. 545 *ἔνι φύσις, ἔνι χάρις, ἔνι θράσος, ἔνι δὲ σοφὸν, ἔνι φιλόπολις ἀρετὴ φρόνιμος* huc pertinere recte negauit Thierschius; idem parum recte 'in iterata breuiore forma arcanorum quandam simulationem subesse' dixit. quo enim minus negari potest, Chremylum multis ambagibus uti, antequam, quid agatur et quale dicat periculum, simpliciter Blepsidemum doceat, eo magis dubitari licet, num, quale Thierschius uolt, repetito *ἔνι* uocabulo significari potuerit. idem homo doctus ad u. 1077 (1180 Mein.) *οἶδ' οἶδα τὸν νοῦν· οὐκέτ' ἀξιοῖς ἴσως εἶναι μετ' αὐτῆς* haec dicit: 'iterationes earundem uocum amant praeter ceteros, qui aliquid reconditum se scire uel exploratum habere gaudent, uel gloriantur, scire saltem simulant. ita supra 344. *ἔνι γάρ τις, ἔνι κίνδυνος ἐν τῷ πράγματι.*' facile intellegitur, utriusque loci diuersam esse rationem. illo enim loco Chremylus, quod adulescens dissimulaturus esse uidebatur, se bene scire perspicuis uerbis indicat, hoc loco, de quo agitur, de periculo, quod ipse bene cognitum habebat, Blepsidemus non item, obscurius atque tectius loquitur. uides igitur Thierschium non satis prudenter hos potissimum locos inter se coniunxisse ad sententiam suam defendendam, quam non satis firmis pedibus stare, facile quisque intelleget. uerum indagauisse uidetur Fischerus, qui ad u. 114 *οἶμαι γὰρ οἶμαι, σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται, ταύτης ἀπαλλάξειν σε τῆς ὀφθαλμίας* haec adnotat: 'iteratio illa uerbi *οἶμαι* (h. e. spero) quam graeci rhetores *ἀναδίπλωσιν*, latini conduplicationem uocant, exprimit c e r t i t u d i n e m s p e i cf. 348.' ad hanc ipsam enim spei certitudinem mitigandam addita sunt uerba *σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται* cf. Eur. Med. 625 *ἴσως γὰρ, σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται, γαμεῖς τοιοῦτον ὥστε σ' ἀρνεῖσθαι γάμον.* similiter Aeschylus Prom. 338 *αὐχῶ γὰρ αὐχῶ τήνδε δωρεὰν ἐμοὶ δώσειν Δί', ὥστε τῶνδε σ' ἐκλῦσαι πόνων.* eandem iterationis uel conduplicationis uim iam etiam u. 1080 agnosces, ubi uerba *οἶδ' οἶδα τὸν νοῦν* uerti possunt: *ich weiss recht gut, was du damit willst.* his confisus exemplis nego, repetito *ἔνι* uocabulo eo, de quo agitur, loco aliud quicquam significari potuisse nisi Chremylum certissime affirmare, i n e s s e in illa re

periculum; quod cur faciat, non habet. quo accedit quod ut in illis, quos adtuli, locis etiam hic uerbum, quod priorem locum tenet, quam proxime ab altero abesse itaque sic dictum esse exspectamus: *ἔνι γὰρ ἔνι τις κίνδυνος ἐν τῷ πράγματι*, quem uerborum ordinem ubi in Barocciano altero extare adnotat, ipse Thierschius praeferre uidetur. postremo si reputaueris Chremylum uersu, qui antecedit, negare se iam factum esse diuitem, sed mox futurum esse, facile concedes, in hoc uersu *ἔτι* uocabulum desiderari. scribe igitur:

ἔνι γάρ τις ἔτι κίνδυνος ἐν τῷ πράγματι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

μὰ τὴν Ἑκάτην οὐ δῆτα· μαινοίμην γὰρ ἄν.
ἀλλ' ὦ νεανίσκ' οὐκ ἐῶ τὴν μείρακα
μισεῖν σε ταύτην.

ΝΕΑΝΙΑΣ

ἀλλ' ἔγωγ' ὑπερφιλῶ.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

καὶ μὴν κατηγορεῖ γέ σου.

ΝΕΑΝΙΑΣ

τί κατηγορεῖ;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

εἶναί σ' ὑβριστήν φησι καὶ λέγειν ὅτι
πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

ΝΕΑΝΙΑΣ

ἐγὼ περὶ ταύτης οὐ μαχοῦμαι σοι.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

τὸ τί;

ΝΕΑΝΙΑΣ

αἰσχυνόμενος τὴν ἡλικίαν τὴν σήν, ἐπεὶ
οὐκ ἄν ποτ' ἄλλῳ τοῦτ' ἐπέτρεψ' ἐγὼ ποιεῖν·
νῦν δ' ἄπιθι χαίρων συλλαβὼν τὴν μείρακα.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

οἶδ' οἶδα τὸν νοῦν· οὐκέτ' ἀξιοῖς ἴσως
εἶναι μετ' αὐτῆς.

ΓΡΑΥΣ

ὁ δ' ἐπιτρέψων ἐστὶ τίς;

Fischerus ad u. 1076 haec adnotat: 'ego non contendam, neque rixabor tecum de ista, h. e. cedam tibi istam libenter, neque ullo modo eripere conabor. nam Chremylus putandus est stare proxime ab anicula (1067), et adulescens ex ea re non minus, quam ex eis, quae Chremylus modo dixerat, conlegisse uidetur, aniculam ab eo amari.' qua in interpretatione hoc unum mihi non probatur, quod adulescens dicitur ex eis, quae Chremylus modo dixerat, conlegisse uideri, aniculam ab eo amari. illa enim, si quid uideo, minime ita comparata sunt, ut inde Chremylum anum diligere uel etiam amare concludi possit. ac quomodo adulescens sic respondere poterat? nonne exspectatur, eum tam grauiter accusatum iam nunc ingenue professurum esse, cur illa muliercula uti nolit? fortasse igitur *μαχοῦμαι* non tam *contendam* uel *rixabor* significat quam *disputabo* cf. Plat. de republ. III p. 407 A *μηδὲν περὶ τούτου αὐτῷ μαχώμεθα.* sed ne hoc quidem concedi potest, quoniam ex u. 1078 *οὐκ ἄν ποτ' ἄλλῳ τοῦτ' ἐπέτρεψ' ἐγὼ ποιεῖν* satis clare elucet non de disputatione agi, sed de alia quadam re. nam recte dicere uidetur Dindorfius ad hunc uersum: 'explicatur a Fischero, ut tecum contenderet de ista anicula, ut tibi eam eripere conaretur. imo sensus est: non ego tecum de ista pugnabo tuam aetatem reuerens: etenim alii (iuniori) non permitterem meam abducere amicam. ita magis lepide dicitur, et uersus sequens aptus est,' nisi quod non tam de abducenda muliercula quam de simili aliqua re uelut, qualis u. 1067 sq. indicatur: *πειρᾷ μὲν οὖν ἴσως σε καὶ τῶν τιτθίων ἐφάπτεταί σου λανθάνειν δοκῶν ἐμέ,* cogitandum esse dixerim. deinde miror, quod Chremylus, postquam u. 1071 de adulescentis in anum odio dixit, u. 1080 ita loquitur, ut nunc demum intellexisse uideatur, anum ab adulescente respui. postremo uerborum, quae u. 1081 leguntur *ὁ δ' ἐπιτρέψων ἐστὶ τίς;* rationem nondum recte explicatam esse censeo. tributa sunt ab omnibus inde ab Hemsterhusio editoribus anui itaque explicata ut anus

dicat: 'fieri potest, ut quisquam permittat et iustum putet, ne quid rei amplius ipsi pro solita consuetudine mecum sit?' sed omnes hoc unum non satis attendisse uidentur, quod si uerba tantum spectaueris, sententiarum et rerum conexus nulla prorsus habita ratione, hoc uerba non poteris non sic interpretari: *quis uero permittet ut ea utar uel utatur.* iam ego quidem mihi persuadere non possum, Aristophanem tam ambigue dicturum fuisse, ut ex omni sententiarum conexu conligendum relinqueret, quod facili opera ipsis uerbis poterat exprimere. propterea haec uerba neque Chremylo neque anui neque, ut nunc res est, adulescenti recte adsignantur.

In emendatione quas detegimus difficultates certissimas habebimus duces. uidimus enim neque uersibus 1076 et qui secuntur apte excipi eos uersus, qui in libris proxime antecedunt, neque Chremylum quae u. 1080 dicit consentaneum esse dicere post u. 1071; intelleximus, post u. 1075 exspectari adulescentem, quid de anu sentiat, ingenue professum esse; uerba *οὐκ ἄν ποτ' ἄλλῳ τοῦτ' ἐπέτρεψ' ἐγὼ ποιεῖν* ad ea referenda esse uisa sunt, quae u. 1067 sq. describuntur. quibus omnibus perpensis non possumus quin hos uersus hoc ordine sese excipere iubeamus.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

1070 *μὰ τὴν Ἑκάτην οὐ δῆτα· μαινοίμην γὰρ ἄν.*

ΝΕΑΝΙΑΣ

1076 *ἐγὼ περὶ ταύτης οὐ μαχοῦμαί σοι.*

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

τὸ τί;

ΝΕΑΝΙΑΣ

αἰσχυνόμενος τὴν ἡλικίαν τὴν σήν, ἐπεὶ
οὐκ ἄν ποτ' ἄλλῳ τοῦτ' ἐπέτρεψ' ἐγὼ ποιεῖν·
νῦν δ' ἄπιθι χαίρων συλλαβὼν τὴν μείρακα.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

1080 *οἶδ' οἶδα τὸν νοῦν· οὐκέτ' ἀξιοῖς ἴσως*
εἶναι μετ' αὐτῆς.

ΝΕΑΝΙΑΣ

ὁ δ' ἐπιτρέψων ἐστὶ τίς;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

1071 ἀλλ' ὦ νεανίσκ' οὐκ ἐῶ τὴν μείρακα
μισεῖν σε ταύτην.

ΝΕΑΝΙΑΣ

ἀλλ' ἔγωγ' ὑπερφιλῶ.

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

καὶ μὴν κατηγορεῖ γέ σου.

ΝΕΑΝΙΑΣ

τί κατηγορεῖ;

ΧΡΕΜΥΛΟΣ

εἶναι σ' ὑβριστήν φησι καὶ λέγειν ὅτι
πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

ΝΕΑΝΙΑΣ

1082 οὐκ ἂν διαλεχθείην διεσπλεκωμένῃ
ἀπὸ μυρίων ἐτῶν τε καὶ τρισχιλίων.

Vides me uerba ὁ δ' ἐπιτρέψων ἐστὶ τίς; adulescenti tribuisse; nimirum hoc nouo ordine dispositis his uersibus illa uerba non iam excipiuntur eiusdem adulescentis uerbis οὐκ ἂν κτλ., quae sola impedimento fuerant, quominus cui uni conueniunt redderentur. per summam igitur ironiam adulescens dicit: *quis mihi permittet, ut ea utar.* quem iocum quo sese potissimum uideri sentit quod silentio praetermittit Chremylus prudenter agit.

DE TERENTI ANDRIAE PROLOGO.

SCRIPSIT

GVSTAVVS WAGNER.

Prologos Terentianos omnino non posse recte intellegi, nisi quibus temporibus singulae huius poetae fabulae doctae sint semper memoria teneas, uix est quod moneamus. qua in re illud quoque in disceptationem uenit, quibus fabulis aliis ludis repetitae actiones usus poeta contigerint: ad quam quaestionem accuratius pertractandam si hac scriptione aliquid contulerimus, magno opere gaudebimus.

Et ex ipsa quidem antiquitate [1] de unius Hecyrae repetitis actionibus accepimus: id quod et testantur prologi duo (quorum priorem egregie restituit Carolus Dziatzko quaest. sel. p. 11 sq.) et Suetonius in uita Terentiana (ad quam confer Ritschelium p. 500 sq.) et Donatus: quibus accedit didascalia peraccurata, tractata illa a Gepperto in Iahni annalium uol. suppl. XVIII, 567 sq. [2]. ex his omnibus consequitur, Hecyram in scaenam commissam primum anno post Andriam 589, repetitam bis anno 594, tertia demum actione placitam esse. et alterius quidem et tertiae actionis prologi supersunt: non habemus primae actionis prologum. quaeritur igitur, utrum is perierit an numquam a poeta scriptus sit. in qua re diiudicanda equidem cur didascaliae testimonium disertum sequendum esse arbitror, iam caussas edisseram. in Hecyrae enim didascalia haec leguntur 'acta primo sine prologo': quae uerba Carolum Dziatzkonem scio a genuina didascaliae forma aliena esse arbitrari, neque tamen

[1] Eunuchi repetita actio huc non pertinet: uide Ritsch. Par. I 333 et ad uitam Suetonianam p. 503.

[2] De uniuersa re prae ceteris conf. Ritschelium Par. I 335.

aliam causam afferre memini nisi quod huius modi annotationes a titulorum illorum pristina forma afuisse ceterarum didascaliarum exemplo probari dicit, in quibus scilicet tale nihil legatur. atqui huic argumentationi non tantum quantum Carolus Dziatzko attribuere possumus momentum: cum eam suapte natura ambiguam atque persuasionis ui destitutam esse unus quisque sentiat. primum enim non omnia ad unam certam normam exaequanda sunt: deinde uero etiamsi uerba illa a genuina forma didascaliae aliena esse putaueris [3], non statim consequitur, ut rem illis narratam falsam esse existimes: id quod non prius faciendum esse arbitror, quam Terentium omnibus suis fabulis inde a prima actione prologos praemittere solitum esse demonstratum sit. id quod ut non demonstrauit Dziatzko neque poterit demonstrare, ita si ipsius Terenti uerbis fidem habeas, multo probabilius fit, inde ab initio prologos omisisse hunc poetam.

Quod enim dixi hanc rem ab ipso Terentio testatam esse, ita intellegi uoluerim. ni mirum, ipse poeta in prologis non numquam queritur de opera prologorum scribendorum prorsus sibi superuacua: ut statim in Andriae prologo u. 5 sq.:

> 'nam in prologis scribundis operam abutitur,
> non qui argumentum narret, sed qui maleuoli
> ueteris poetae maledictis respondeat.'

nam sane Terentium omnino relicto priorum poetarum more (quorum scilicet prologi praecipue in enarrandis argumentis uersarentur) [4] iis ad solas rixas iure poterant cum aduersariis exercendas uti uidemus: unde suo iure poterant non nulli dicere, poetam non habuisse prologorum materiam, nisi lacessitus esset a poeta uetere. id quod discimus e Phormionis prologo u. 13 sq.:

> 'nunc siquis est, qui hoc dicat aut sic cogitet;
> uetus si poeta non lacéssisset prior,
> nullum inuenire prologum posset nouos' eqs.

ex utroque uero loco statuas necesse est, Terentium non scripsisse prologos (quippe quibus ad ipsas fabulas noscendas

[3] Quod uero uerba absunt a didascalia apud Donatum p. 341 Lind. servata, non potest mirari horum titulorum condicionis peritus.

[4] cf. Donatum, qui ad uerba 'argumentum narret' annotat 'quod uere prologi est officium.'

facile posses carere) priusquam a Luscio Lanuuino lacesseretur. huius modi autem criminationes quales illius poetae opera per urbem sparsae erant non poterant suapte natura prius excogitari uel a populo intellegi, quam fabulis in scaena actis aliquantum notus esset Terentius. quae opinio haud leviter confirmatur, si Andriae prologi totum initium accuratius perpenderis. quo initio patet esse quandam oppositionem statuendam inter 'fabulas' u. 3 commemoratas et 'prologos' insequenti uersu positos, ut uniuersus sensus hic sit 'initio quidem Terentius solis fabulis opus esse arbitratus est, ut populo probaretur: nunc uero uidit sibi etiam in prologis scribendis elaborandum esse, quamquam opera prorsus superuacua.' haec igitur faciunt, ut didascaliae uerbis 'Hecyram primo actam esse sine prologo' fidem non abrogemus, quae tamen etiam per se spectata nihil miri habere affirmamus, ut uel nisi aliunde confirmari possent ea non addubitaremus.

Sed quod? nonne ante Hecyrae primam actionem, quam sine prologo factam esse diximus, cum prologo acta est Andria? itaque tamen ab initio prologis carere non potuit poeta. atque si Andriae prologus poetam populo incognitum commendaret, ferremus atque facile explicaremus: nunc uero prologus talis est qualem a poeta iam cognito expectaueris.

Non fugit haec incongruentia uiros doctos, quamquam nullum aut accuratius de re per se sat mira inquisiuisse aut probabilia protulisse animaduerto. quodquod etiam a Carolo Dziatzkone hanc quaestionem (quaest. sel. p. 1 sq.) iusto iure tractatam esse miramur? quae res in primis facit ut nostram sententiam proferendam esse putemus: quam si quis redarguere potuerit, lubenter concedemus: ut nunc rem possumus diiudicare, unice uera esse uidetur. sed ipsam rem aggrediamur.

Andriae igitur cum perierit didascalia, eam e Donati uerbis (p. 2 Lind.) restaurare coacti sumus. fecit hoc post alios Geppertus loco iam supra laudato p. 575 ss. [5]: hanc didascaliam si sequaris, Andria acta est M. Marcello C. Sulpicio cos., i. e. anno 588. uerum cum huius anni tempus

[5] cf. in primis p. 580.

cum eo quod Suetonius (p. 28) refert, Andriam ante ipsam actionem a Terentio Caecilio esse recitatam, non satis congruere uideretur, grauis orta est controuersia, quandoquidem Hieronymus in chronico Caecilium 'mortuum esse anno post mortem Ennii' tradit, Ennium uero mortuum esse anno 588 constat. quam controuersiam Fridericus Ritschelius in commentario ad uitam Suetonianam scripto p. 497, ubi simul aliorum breuiter percensuit opiniones, felicissime ita dissoluisse mihi uidetur, ut Hieronymi uerba ad tale fere exemplum restitueret 'mortuus est anno post mortem Ennii III': quando annus post mortem Ennii tertius ipse 588 fuit.

Primam uero esse fabulam Terenti Andriam certo constat e Suetoni uerbis et didascalia a Donato seruata. neque potuisse de repetita anno 588 Andriae actione cogitari, apparet ex eodem Suetonio p. 31, qui Sulpicio Gallo cos. Terentium initium fecisse fabularum dandarum diserte narrat. haec igitur in diiudicanda prologi condicione tenenda sunt: nam quod eorum obliti homines docti coniecturas temptabant, contigit iis Plautinum illud 'amiserunt certa, incerta dum petunt' [6].

Et quidem cum communis opinio esset, hunc prologum ad eam Andriae actionem quae fuit anno 588 compositum esse, Daciera e uersu primo 'poeta quom primum animum ad scribendum appulit' Terentium iam ante Andriam alias docuisse fabulas concludere posse sibi uisa est. ipsa uero Dacieria addit 'comment dont Donat a-t-il pû dire que l'Andrienne a été la première? il a voulu sans doute nous faire entendre qu'elle a été la première des six qui nous restent, et cela est vrai' [7]. quam tamen admisit Donati uerborum interpretationem, nihili esse patet: immo Dacieriae sententiam contra omnis antiquitatis memoriam pugnare ex iis quae modo diximus in aperto est. quam utrum prima protulerit, an ex Tan. Fabri editione anno MDCLXXI prodita repetierit (quod Geppertus p. 579 testatur), mea nunc non interest nec possum discernere, quippe cui sola Dacieriae editio ad manus sit. — deinde Dacieriae sententiam amplexus

[6] cf. Pseudul.

[7] uide Terentium ed. Dac. Amstelod. MDCCXXIV uol. I p. 12, quocum conf. p. LXX s.

est Westerhouius, qui ad uersum huius prologi 5 'nam in prologis scribundis operam abutitur' annotat 'recte hinc confici iam ante Andriam plures prologos atque adeo etiam fabulas scripsisse Terentium.' utriusque sententiam acerrime impugnat Theodorus Benfeius in annotationibus uersioni germanicae Terenti additis: et Westerhoui quidem argumentum plane refutauit, pluratiuum numerum de rebus molestis atque ingratis in usu esse monens, quamquam de una tantum re agatur, ueluti quod Andriae V 3, 20 est 'liberi inuenti sunt', ubi tamen de uno puero sermo est. conferri iubet Donati annotationem ad Hecyrae II 1, 55. eandem explicationem probat Carolus Dziatzko l. l. pluralem illum 'ad superlationem quandam ueritatis in quouis dicendi genere tritissimam' referens. sed ut Westerhouius grammatica ratione uictus est, ita non est refutata tota argumentatio: quod enim contra Dacieriam protulit Benfeius, oppositionem quae est inter 'primum' et 'nunc' spectare ad id tempus, quo Terentius de fabulis scribendis primum cogitauerit, et ad id, quo iam scriptas fabulas in scaenam committat, ut de prioribus fabulis non sit cogitandum: id quamquam per se spectatum fieri posse non negamus, tamen si uniuersam prologi indolem sententiarumque conexum et progressum accuratius pensitaueris, fieri posse confidenter negamus. defendit enim se Terentius contra 'maliuolum ueterem poetam': qui Andriam ideo reprehenderat, quod ex duabus graecis fabulis esset contaminata. sed unde tandem Terenti aduersarius tam accuratam fabulae notitiam sibi comparauerat, nisi quod iam acta esset Andria? nam de actione fabulae solorum magistratuum caussa facta, qualis in Eunuchi prologo u. 20 ss. commemoratur[8], hic non posse cogitari iam illa ipsa de fabula Caecilii recitata narratio euincit. atqui uel ut de tali actione cogitetur, quid populi intererat, poetam omnino incognitum reprehendi, cuius ne spectata quidem antea esset una fabula[9]? sed ut haec omnia, quamquam sat aegre, explicari posse concedamus, qua tandem ratione explicabunt quattuor hos uersus in prologi fine collocatos:

[8] Ritsch. Par. I 328 ss.

[9] quo pacto Andria spectatoribus non acta innotuerit, 'uarie posse explicari' censet Dziatzko l. l.: uellem protulisset uarias illas explicationes.

'fauete, adeste aequo animo et rem cognoscite,
ut pernoscatis, ecquit spei sit relicuom:
posthac. quas faciet de integro comoedias,
spectandae an exigendae sint nobis prius.'

et ex his uersibus simul patet quid de huius prologi consilio sit statuendum. ex his enim uersibus (nisi uehementer fallor) haec quam certissime consecuntur. Terentius ante hanc Andriae actionem, ad quam scriptus est hic prologus, aliam uel alias (nam utrumque poterit locum habere) fabulas in scaenam dederat, quarum tamen ne cognoscendarum quidem operam se dignam putauerat populus, sed prius exegerant quam ad finem spectarent: qua re ad desperationem fere redactus poeta spectatores rogat, ut uideant, ecquid spei sit relicuom. haec omnia tam plana et perspicua sunt, ut mirarer, nisi unus quisque semel monitus ea uera esse intellegeret. ex quibus Dacieriam et Westerhouium de uersibus huius prologi primis recte sensisse apparet: sed tamen ultra sensum quendam non progressum est eorum iudicium, quippe quod certa stabilique argumentatione ab ipsis prolata nitatur nulla.

Sed omnia quae huc usque disputauimus corrui uidentur uno argumento, prolato illo a Carolo Dziatzkone: is enim ex iis uerbis quae sunt 'rem cognoscite' colligit, spectatores 'rem' nondum cognouisse, fabulam igitur aut cum nostro prologo primum actam aut antea exactam fuisse. exacta uero non est Andria, cum primum ageretur: id quod et ex Caecili admiratione quam meruit fabula consequitur et e Suetoni uerbis, Andriam populo esse probatam (p. 29, 5) sed quid? num necessario e prologi uerbis consequitur, Andriam, cum hic prologus recitaretur, fuisse nondum cognitam? uix crediderim: sed uidentur potius uerba illa hanc admittere interpretationem 'nunc id facite, quod nuper non fecistis, primum rem cognoscite, deinde iudicate [10]: primum fabulam spectate, deinde aut probate aut exigite. omnino uero uidete, si in poeta iam fere desperato aliquid spei sit relicuom.'

Iam igitur uix latere potest, quo tendat nostra disputatio: Andriam enim post Hecyrae primam actionem anno 590

[10] de cognoscendi uocabuli usu forensi uide Ruhnkenium.

relatam existimamus ad eamque repetitam actionem hunc scriptum esse prologum. nam Hecyrae cum primum agere-tur plane ea contigerunt, quae ne Andriae contingant hic prologus rogat. de eius enim fortuna prior prologus (u. 2 ss.) narrat 'ei nouom interuenisse uitium et calamitatem, ut neque cognosci neque spectari potuerit'[11]: quae uerba quam apprime conueniant cum Andriae prologo, uix est quod moneamus. prorsus autem paria de Hecyrae priore actione referuntur in altero prologo u. 23 ss. iam uero, cum tam infeliciter cessisset Hecyra, Terentius omni fere animo abiecto prope remotus est 'ab studio atque ab labore atque arte musica,' ut quidem in Hecyrae altero prologo est u. 14 s.: et duos annos intermisit, antequam nouam fabulam in scaenam daret: nam Hauton timorumenos[12] anno demum 591 acta est. post Hecyrae igitur primam actionem Andriam relatam esse putamus: qua scilicet reducta spectatorum animos urbi denuo conciliare studuit poeta, cum illa summi poetae Caecili laude grauissima commendata sine dubio spectatoribus accepta esset.

Nostram igitur sententiam si sequaris, omnia clariore luce inlustrabuntur, quae ad singula huius prologi uerba intellegenda pertinent. et primo quidem loco dicendum est de u. 26, quem supra iam ascripsimus. in hoc enim uersu iam a Donato dubitatum est, qua potissimum ratione uerba interpretanda essent: is enim ad uerba 'de integro' hanc scripsit quaestionem 'utrum denuo an ex integris graecis?' quam alteram interpretandi rationem amplexus est Eugraphius, 'de integro' hoc esse dicens 'cum unam graecam in unam latinam transtulerit' (p. 2 ed. Westerh.): priorem uero Guyetus, qui commentariorum p. 5 haec habet 'de integro, id est denuo, τὰ posthac denuo συνωνύμως accipienda uidentur.' 'de integro' autem pro 'denuo' esse accipiendum probant loci a Westerhouio in annotatione collecti: posthac denuo non possunt coniungi, nisi ταυτολογίαν paene intolerabilem statuas. itaque uix uidetur dubium quin 'posthac' uocabulum ad insequentem uersum pertineat: 'posthac spectandae an

[11] cf. etiam ad haec uerba Donatum: p. 342. Lind.

[12] ita scribendum esse nomen fabulae docet prol. u. 5. cf. Luc. Muellerum de re m. p. 2. p. 276.

exigendae sint prius.' iam quod sit 'de integro facere comoedias' apparet: nam in hoc prologo Andriam nouam esse nusquam monemur, id quod in aliis prologis non praetermittitur (cf. Ad. prol. 12. Hec. prol. I 1, 5. II 3 s. Phorm. prol. 24. Hauton tim. prol. 4. 7. 34. Eun. prol. 30 ss.): et re uera Andria, cum hic prologus recitaretur, iam non erat pro noua, quippe quae referretur in scaenam. haec igitur res u. 26 significatur, ut denuo facta comoedia pro ea intellegenda sit, quae nondum in scaena uisa sit. quam notionem in 'integri' uocabulo proprie inesse uix est quod moneamus: de alia uero huius uocabuli significatione (explicata a Carolo Dziatzkone p. 8) hic non posse cogitari in aperto est.

Atqui uidetur etiam accuratius definiri posse de priore et altera Andriae actione. nam ex iis quae in huius scriptionis initio disputauimus uidetur consectarium esse, et Andriam et Hecyram, cum primum agerentur, sine prologis esse editas: quippe quas fabulis suis facile deesse posse arbitraretur poeta. bis uero actam esse Andriam, etiam inde apparet, quod duplex nobis huius fabulae exitus etiam nunc seruatus est. de quo exitu accuratissime egit Fridericus Ritschelius Par. I 583 ss.: qui rectissime alterum illum exitum ex ipsa antiquitate proditum et a bono poeta scriptum esse docuit. et Ritschelius quidem in hac scaena nihil inueniri quod a Terenti elegantia et arte recedat ipse concedit (p. 601): sed quae profert ad suam ipsius sententiam stabiliendam quae haec est 'omnino non de duplici opera unius poetae, sed de duobus poetis cogitandum esse,' ea omnia ita comparata sunt, ut certi comprobent nihil. nam in iis aestimandis uir clarissimus eorum oblitus esse uidetur quae ipse paullo antea scripserat: difficile esse diremptu, utrum fabulae exitum poeta prius fecerit, utrum reprobato altero postea adiecerit. nam quae Ritschelius merito in prolixiore altero exitu reprehendit (p. 602), ea ipse Terentius cum iterum fabulam in scaenam committeret, uel sua sponte uel ab amicis monitus intellegere cur non potuit? ut Godofredum Hermannum recte de hoc exitu iudicasse appareat (Par. I 604), quamquam uel hic non certo affirmare ausus est, scaenam illam ab ipso Terentio esse profectam. sed, ut diximus, in hac scaena nihil inest, quod ab arte et elegantia Terentiana recedat: Terentium uero ipsum Andriam in scaenam redu-

xisse probabile effecisse nobis uidemur: quid igitur obstat quominus utrumque fabulae exitum a poeta profectum esse credamus uno eodemque? nihil sane.

Qua uero ratione factum sit, ut neque apud Suetonium neque apud Donatum neque in didascalia quidquam de duplici illa Andriae actione neque prologi uniuerso consilio inueniatur, si quaeres, in promptu sunt Ritscheli uerba in consimili caussa sic iudicantis (ad uit. Suet. p. 501) 'non est nimis mirandum, quaedam in hoc genere ueteres illos pinacographos saeculi VII fugisse: quam enim nec certa nec sibi constans memoria illa omnis didascalia fuerit, cum aliis documentis apparet, tum ex eis cognoscitur quae de earundem fabularum duarum temporibus (in his ut nunc subsistam) in didascaliis libri Bembini prodita sunt.' quis uero curare uelit, si eam quae cum Bembini primis foliis periit didascaliam haberemus, eam plane Donati similem nos esse inuenturos?

Cum de Andria ab ipso poeta retractata alioque exitu instructa diceremus, facile potuit expectari, non nulla de ea quoque re nos dicturos esse, si quae forte alia deprehendantur uestigia retractationis in aliis fabulae partibus. ad qualem retractationem scio ab non nullis (maxime ab Osanno) reuocatas esse discrepantias scripturae hic illic a Donato memoratas: quarum multitudinem recensuit A. Richter in commentatione de Donato p. 7 ss.: eas uero ualde improbabiliter ad ipsius poetae manum referri testes sunt eae quae in ipso Andriae prologo inueniuntur: ueluti u. 1 'appulit' libri habent, Donatus in secunda lectione "attulit' fuisse narrat: de qua lectione dixerunt Koenighoffius de scholiastae in Terentium arte critica p. 9 et A. Richter l. l. p. 9 s. ad idem genus ea pertinet lectio quam Donatus ad u. 8 affert 'attendite,' ubi in libris est 'aduertite': cf. Koenighoffium l. l. et Richterum p. 16 s. quis uero prologum a poeta retractatum esse facile sibi persuadeat? Terentiani scilicet prologi ita comparati sunt, ut ad unam tantum fabulae actionem apti sint: quos quo consilio retractasse putandus esset poeta? posteriore igitur aetate post Terenti mortem huius modi discrepantiae ortae sunt, ut apud alios quoque poetas factum est. hae uero tam leues sunt, ut cum iis mutationibus, quales Plautinas fabulas subiisse certissimis documentis

demonstrari potest, ne comparari quidem possint: tales enim post Terenti mortem eius fabulis accidisse uix est credibile, cum adhuc non sit a quoquam homine demonstratum, tot et tantas interpolationes uel adeo certo consilio factas retractiones in Terentianis fabulis inesse quales in Plautinis certissime insunt. singuli sane uersus interpolati sunt: sed cuinam ex ueterum poetarum numero id non accidit, ut unius alteriusue additamento ditaretur? nam quamquam non negauerim, recte iudicasse Ritschelium (Mus. Rhen. n. VI 446) 'insiticiorum in Terentianis fabulis uersiculorum plura extare quam plerique suspicarentur exempla' — tamen ne Ritschelius quidem negabit, Terentianarum fabularum interpolationem cum ea quae Plautinis fabulis accidit comparari non posse. certo autem consilio factae interpolationis indicia in Terentianis fabulis omnino desunt: nam Andriae duplex ille exitus ad ipsum poetam uidetur referendus esse. si quae uero inueniantur uariae lectiones, quas addere illi quod modo significauimus generi iustis de caussis dubitaueris, nos quidem quin hae summa tantum cautione ad ipsius Terenti operam referendae sint nulli dubitamus. quam rem uno, sed eo grauissimo, exemplo declarabo. Adelphorum enim I 2, 37 (apud Fleckeisenum u. 117) in libris scriptis hodie sic legitur 'obsonat olet unguenta, de meo', sed apud Varronem de lingua latina VII 84 p. 152 M. '*scortatur* potat olet unguenta, de meo': qua Varronis lectione annotata Bentleius 'hoc Varro' inquit 'falsus memoriae: quippe omnes hodie libri o b s o n a t.' quod quam neglegenter a Bentleio sit iudicatum, merito miramur. nam si Varronem suum inspexisset, eum propter ipsum 'scortandi' uerbum Terenti uersum ascripsisse inuenisset: ut ineptus esset Varro, si soli memoriae confisus uersum falsa lectione ascripsisset. hoc igitur a Varrone alienum esse unusquisque intelleget. quo accedit aliud, quod nescio an iam sit ab aliis intellectum. recepta enim ea quam Varro seruauit lectione 'scortatur potat olet unguenta, de meo,' is qui in libris nostris insequitur uersus 'amat, dabitur a me argentum, dum erit commodum' stare non potest (scortari enim et amare idem significant): quo modo igitur genuina lectio a Varrone tradita cum iis quae hodie in nostris libris leguntur conciliari possit uidendum est. atque possit aliquis fortasse cogitare de dittographiis

hic ut saepe commixtis: at u. 27 nemo interpolatoris operae tribuet, aut si quis tribuerit, is non erit audiendus: u. uero 38 carere non possumus propter insequentem, qui sine eo non potest sat commode intellegi. itaque 'amat' quin corruptum sit, dubitari non potest, quod nos leni tantum mutatione ita emendabimus, ut coniunctiuum pro indicatiuo restituamus. omnia enim optime procedunt hac ratione:

scortatur potat olet unguenta: de meo.
amet: dabitur a me argentum, dum erit commodum,
ubi non erit, fortasse excludetur foras.

'obsonat' uero positum esse arbitramur, cum potare atque obsonare per se coniuncta esse soleant: quam ob rem facile librarii manus ita aberrare potuit. nam non uidemus, cur 'huius differentiae caussas inuestigare lubrica sit quaestio,' quae sunt uerba Odofredi Muelleri ad Varronis l. l. hoc sane apparet, de Terenti duplici opera hoc loco ne cogitandum quidem fuisse, quamquam cogitatum esse scio.

Sed uidemur iam longius ab Andriae prologo in quo hanc disputationem uersari uoluimus digressi esse: reuertamur igitur in uram et quae nobis de repetita huius fabulae actione certius quam alii ante nos effecisse uidemur, uirorum doctorum curae commendemus. nam nos non fugit, facile in huius modi rebus quas argumentis hinc illinc conquisitis atque artificiosa ratione conexis effeceris facile posse errari, cum semper sit uerendum aut ne nimium aut ne non satis uidisse dicaris. sed haec qualiacumque doctorum hominum iudicio proposuisse nunc iuuat: cum diligenti tantum examine commenta dierum a ueris secernantur. optamus uero, ut non solum cum specie ueritatis, sed cum ipsa ueritate disputasse dicamur.

QVAESTIONES PROPERTIANAE.

SCRIPSIT

BERNHARDVS ESCHENBVRG.

Unusquisque, qui uel leuiter quintum Sex. Propertii elegiarum librum perlegerit, iure mirabitur certum in eo ordinem desiderari. itaque non iniuria proximi carminum illorum editores Barthius, Lachmannus, Hertzbergius non Propertium ipsum ea in tali ordine posuisse, quali nobis tradita sunt, sed potius post poetae mortem amicos in lucem edidisse, quae inter mortui scripta inedita occurrissent, statuerunt.

Sed ne sic quidem omnes difficultates tolluntur, quae imprimis in eis carminibus sese praebent, quibus Callimachi *αἴτια* poeta imitatus esse dicitur, i. e. in primo secundo quarto nono decimo. quamobrem aliquo iure me facere puto, si ea, quae sequitur, dissertatione, quid de horum carminum statu inuestigauerim, exponam.

Diiudicaturis autem nobis de carminibus illis in eo maxime elaborandum erit, ut qua tempestate condita sint, definiamus: quae quaestio his duobus potissimum adiuuabitur: cum metricis rationibus tum illis, quas et ex uersu carminis primi quinti libri tertio:

atque ubi Nauali stant sacra Palatia Phoebo

et ex quatuor priorum librorum argumentis petimus.

Cum igitur nobis propositum sit, ut, quomodo metricae rationes eorum carminum, quae quatuor prioribus libris continentur, differant ab eis carminibus, quibus poeta sacra dies cognomina prisca locorum urbis describit, ostendamus, incipiendum est a uersuum caesuris: ac primum de caesura semiseptenaria, cum de semiquinaria nihil notandum sit, uerba faciemus. quoniam autem incisionis post quartam arsin sunt sex species, quarum exempla habes in Luciani Muelleri de re metrica Latinorum libro p. 198 haec:

1. oscula libauit natae, dehinc talia fatur.
2. infandum regina iubes renouare dolorem.
3. despiciens mare ueliuolum terrasque iacentes.
4. labitur exanimisque tremens procumbit humi bos.
5. una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis.
6. haec dum Dardanio Aeneae miranda uidentur.

in Propertii quatuor prioribus libris caesurae semiseptenariae quacum coniuncta est semiquinaria, exempla sexaginta quinque inueniuntur; semiseptenariae, quacum coniunctae sunt trithemimeris et quae dicitur κατὰ τρίτον τροχαῖον sexagies bis, tertiae speciei uicies quinquies, quartae quinquies, quintae semel, sextae septies locus datus est. sin uero cum his, quae enumerauimus, comparaueris nostrorum carminum — libri quinti carmina I, II, IV, IX, X dico — caesuras semiseptenarias, magnum inuenies discrimen. quamuis enim in harum elegiarum hexametris prima species duodecies, altera decies septies usurpata sit, tamen ceteris, quae inelegantiores sunt, tertiae quintae sextae nullus, quartae semel tantum (V, 10, 17)[1] locus datus est.

Postquam igitur de caesuris, quae post quartam arsin extant, disseruimus, transeamus ad rariora earum genera: et illorum quidem uersuum, in quibus neque semiquinaria neque semiseptenaria locum habente post secundam arsin et post tertium trochaeum incisio fit, in quatuor prioribus libris tria exempla sunt, (II, 1, 51. III, 15, 43. III, 33, 27) in nostris carminibus codices unum praebent (V, 1, 63), quod uero ad disputationem nostram eam ob causam mihi non pertinere uidetur, quia uersus V, 1, 61—66 spurios esse persuasum habeo, de qua re fore ut posteriore tempore latius mihi disputare liceat, spero: illorum uersuum, ubi tantum post tertium trochaeum caesura exstat, in quatuor prioribus libris unum exemplum inuenio (IV, 6, 25) item unum, ubi praeter caesuram κατὰ τρίτον τροχαῖον etiam post secundum trochaeum uerbum finitum est (III, 33, 9), in nostris libri quinti elegiis nullum.

Cum autem de caesuris satis disputatum sit, nobis uersuum exitus tractandus erit, ubi disputationem sic institue-

[1] Numeris per totam disputationem utor eis, quos Hauptius exhibuit in editione, quae prodiit Lipsiae 1861.

mus, ut prius de hexametrorum, deinde de pentametrorum exitu quid inuestigauerimus, exponamus. exhibent autem quatuor priorum librorum hexametri monosyllabi uerbi exitum, ita ut monosyllabum praecedat, uicies septies, ita autem, ut plurium syllabarum uox ante posita sit, semel (III, 25, 17): in nostris uero carminibus utrumque non occurrit. quatuor uel quinque syllabarum uocabulo Propertius in quatuor prioribus libris decies in nostris carminibus semel (V, 4, 71 ubi uerbum illud nomen proprium est) hexametrum conclusit.

In pentametri exitu liber primus, quem non solum prius conditum sed etiam prius publici iuris factum esse constat quam secundum tertium quartum, summam licentiam praebet. quatuor enim syllabarum exitus in primi libri elegiis quinquies et nonagies, trium bis et tricies usurpatus est. longe aliter res sese habet in libris altero et tertio, qui coniuncti quatuor syllabarum exitum tantum septies et quinquagies, trium quinquiesdecies exhibent. multo etiam minus Propertium huic licentiae indulsisse uidemus in libro quarto, cuius pentametri duodecies in quatuor, semel in trium syllabarum uerbum exeunt. simili uel maiore etiam diligentia quinti libri pentametros conscriptos esse apparet, quippe in quibus polysyllabarum exitus tantum sexies locum habeat, et ita quidem, ut quatuor exempla in eis carminibus, de quibus tota haec quaestio instituta est, inueniantur (V, 1, 64. 2, 34. 38. 4, 76). uidemus igitur luce clarius, Propertium, quo magis arti uersus faciendi sese dederit, eo diligentius polysyllabas in pentametri fine uitasse, cuius totius rei auctor sine dubio Ouidius fuit, quem cum poeta nostro amicitiae uinculis coniunctum fuisse, ille ipse tradit in tristium IV, 10, 45:

saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
iure sodalitio qui mihi iunctus erat.

Postquam igitur in eis, quae antecedunt, quomodo in uersuum fine singula uerba contra legum metricarum elegantiam posita sint, exposuimus, nunc dicendum est, quomodo haec res sese habeat in media uersus parte. extant autem — quod maximae inelegantiae est — in hexametri pede altero dactylicae uoces ter: II, 3, 11. III, 24 B, 19. IV, 6, 25; tertium pedem unum uerbum efficit semel: I, 19, 25, quamuis

haec durities enclisi leniatur. utramque licentiam in nostris libri quinti carminibus poeta non admisit.

Dehinc autem acturi de elisionibus, cum, quo quisque poetarum latinorum ad perfectae elegantiae normam propius accessit, eo curatius hanc legem seruauerit, ut incisione semiquinaria optinente elisiones et prima thesi et secunda arsi et toto pede quarto optineant, ut in ceteris rebus metricis, sic etiam in hac inueniemus Propertium in elegantissimorum numero non esse. nam in omnibus quinque libris, quamuis thesis tertiae et quintae si longa uocali constant, elisionem nusquam admiserit tamen secundae thesis et tertiae arsis et totius quinti pedis synicesin usurpauit Propertius, si uocalis, quae imminuitur, breuis erat: at uero etiam ex eo, maiore cum diligentia librum quintum conditum esse apparet, quod thesis secundae et arsis tertiae quintaeque longae uocales tantum in quatuor prioribus libris elisae sunt, nusquam in quinto: habes secundae thesis synicesin, si uocalis longa est, duo exempla: III, 11, 1. III, 30, 31, tertii hexametri pedis arsis quamuis longa — caesura semiquinaria optinente — bis imminuitur: I, 21, 5. II, 1, 23, quinti pedis arsis longa ter: III, 20, 27. III, 21, 7. III, 27, 7. similiter incisione post tertiam arsin optinente tertiae thesis breuis uocalis — nam longa, ut supra significauimus, apud Propertium omnino non eliditur — nusquam in libro quinto, sed tantum in quatuor prioribus libris imminuitur ut I, 8, 41. I, 12, 19.

Cum vero a spondiacis uocibus elidendis et breui et producta uocali sequente non sese abstinuisse Propertium uideamus exemplis ex omnibus libris petitis — de qua re cf. Hauptii obseruat. critic. p. 21 — et pyrrhichiacum uerbum in 'm' exiens eum elidere non dubitasse exempla haec habeas: I, 17, 23. II, 2, 1. IV, 21, 3. V, 1, 2. V, 1, 69. tamen cretici uocabuli (III, 32, 5) et iambici (II, 1, 23. III, 15, 8. IV, 2, 4. IV, 15, 27.) ultimae syllabae synicesis tantum in quatuor prioribus libris inuenitur.

In pentametro contra legem elisionem admissam esse inuenio:

I, 5, 32: quaerere: non impune illa rogata uenit.
IV, 22, 10: Herculis Antaeique, Hesperidumque choros.
III, 14, 10: immortalis ero, si altera talis erit.

Diphthongi in quatuor prioribus libris octies imminuuntur: I, 2, 17. II, 1, 74. II, 3, 36. III, 33, 37. III, 34, 40. IV, 5, 41. IV, 8, 32. IV, 20 B, 19. quarum licentiarum nullum exemplum habemus in eis libri quinti elegiis, de quibus agimus.

In media uerbi parte synicesis exempla duo mihi occurrerunt: IV, 19, 2. V, 1, 42, ubi 'abiegni' uox molossum efficit. caue autem, ne V, 10, 31 unicum dihaeresis exemplum inueniri dicas: si quid enim uideo, illic pro Veius scribendum est Veiens [2].

Hiatus post thesin usurpati duo (III, 33, 31. IV, 11, 17) post arsin admissi tria exempla (III, 15, 1. III, 32, 45. IV, 7, 49) quatuor priores libri ostendunt, quinti libri carmina nullum.

Breuem natura syllabam in consonantem exeuntem sequente uocali productam inuenies: III, 28, 29: et tibi Maeonias inter heroidas omnes. et II, 8, 8: uinceris aut uincis, haec in amore rota est. quamuis de altero uersu, num omnino Propertianus sit etiam propter alias causas dubitauerim.

Neque uero, cum productionis breuis syllabae positione non adiuuante exemplum tantum unum exstet in nostris carminibus V, 1, 17:

nulli cura fuit externos quaerere diuos

— quae productio ex perfecti ratione metrica excusationem satis magnam habet — desunt in eis exempla, ubi uerbum, quod in uocalem natura breuem exit, sequitur uocabulum, cuius initium fit consonantibus sp uel sc uel st: ut enim habes

[2] Ad hanc mutationem plures eaeque magni momenti causae me mouent: neque enim Propertium et Tibullum diligentius ipsi perlegenti, talis dihaeresis ullum exemplum mihi occurrit, et idem Lucianus Muellerus in libro 'de re metrica poetarum latinorum praeter Plautum et Terentium' p. 264 affirmat de ceteris Romanorum poetis, nisi quod apud Martialem XIII, 74, 1 unum exemplum extet, quod ad nostrum locum referri non posse concedes. sed accedunt aliae causae, quibus Veius corruptum esse persuasum habeo. breui enim ante 'Veios' 'Veientis' uerba sic legenda sunt, ut 'i' consonantis uim habeat: quam rem etiamsi leuiorem habeam, tamen maxime me illud mouet, quod 'Veius' uocabulum praeter nostrum aliis locis non extat, sed Romani semper si Veiorum incolas significare uolebant, Veientes uel Veientanos dicebant.

IV, 11, 53: brachia spectaui
IV, 11, 67: nunc ubi Scipiadae
IV, 19, 21: uenundata Scylla figura
inuenies V, 1, 41: iam bene spondebant
V, 4, 48: tu caue spinosi.

Vt uero ad res singulares pergam, tmesis unum exemplum habeo (III, 17, 11), insolitae contractionis duo:
III, 15, 3: narramus pro narrauimus
II, 7, 2: flemus pro fleuimus.
lenibunt pro lenient usurpatum semel (IV, 21, 32). neque uero talium licentiarum exemplum extat in nostris libri quinti carminibus: nam Lycmon illud pro Lucumo (V, 1, 29) propter Graecam formam, nominatiuus ille plur. Gabi pro Gabii (V, 1, 34) et genetiuus Feretri adiectiui pro Feretrii (V, 10, 48) excusationem habent ex nominis proprii significatione.

Videmus igitur ex his, quae antea disseruimus, Propertium, quamuis in quatuor prioribus libris nullum fere metricae licentiae genus sit, cui non indulserit, in libri quinti carminibus primo secundo quarto nono decimo haec paene omnia summa diligentia euitasse et ut ea carmina quam elegantissima et a metricis duritiis quam maxime uindicata conderet, summa opera studuisse. qua ex re si hoc concludimus, has quinti libri elegias — quandoquidem Propertium Ouidium imitando quo diutius uersibus faciendis operam dederit, eo elegantiora et limatiora carmina condidisse cum per se spectatum uerisimillimum est, tum eo confirmatur, quod liber primus, quem prius quam secundum tertium quartum editum esse constat, plurium syllabarum in pentametri exitu inelegantiam multo saepius exhibet quam ceteri — post quatuor priorum librorum carmina amatoria scriptas esse, a uero haud multum nos aberrare puto.

Quo autem ualde adiuuatur tota haec nostra sententia, apparebit, si ceteras libri quinti elegias: tertiam, quintam, sextam, septimam, octauam undecimam accuratius inspexerimus.

Illorum enim carminum quae aut ante uel breui post libri quarti editionem certe facta sunt ut V, 3 et V, 8 aut illa tempestate optime condita esse possunt ut V, 5 et V, 7 cum quatuor prioribus libris hoc habent commune, quod quamuis

non eadem omnia, attamen non pauca exempla metricae licentiae, quae in illis inueniuntur, praebent. nam cum caesurae semiseptenariae species prima octies, altera decies occurrat, tertiam bis, quartam semel, sextam quinquies habes. quin etiam caesura post tertium trochaeum, quacum coniuncta est incisio post secundum trochaeum semel extat (V, 7, 41) neque deest monosyllabum uerbum in exitu hexametri (V, 5, 17) neque plurium quam trium syllabarum (V, 7, 33) neque in pentametro polysyllabarum exitus (V, 5, 8. 28) et in uersu V, 5, 17: ʻconsuluitque strigesʼ uocabulum, quod in uocalem natura breuem exit, sequitur uox, cuius initium fit ʻstʼ consonantibus.

Sed haec de libri quinti carminibus tertio quinto septimo octauo hactenus.

Restant duo alia sextum et undecimum, quae cum nullam earum licentiarum ostendunt, quas et in quatuor illis libri quinti carminibus et in quatuor prioribus libris notauimus, tum prorsus in elegantiis metricis cum nostris libri quinti elegiis prima secunda quarta nona decima consentiunt. cum uero carmen sextum et undecimum anno u. c. 738 factum esse constet — de qua re cf. Hertzbergii quaest. Propert. p. 228 —, quid dubitamus, carmina nostra etiam fere eadem tempestate condita esse, iudicare? ita ut, cum libri secundus tertius quartus, quod postea certis argumentis demonstrabimus, — cf. etiam Hertzbergii quaest. Prop. p. 226 — circiter anno u. c. 731 uel 732 editi sint, nostra carmina post quatuor priorum librorum elegias condita esse maxime uerisimile sit.

Cum igitur ex rationibus metricis me euicisse putem, haec, de quibus agimus, carmina, non ut Hertzbergius in quaestionibus Propertianis p. 216 et 223 censet prima iuuentute et quidem antequam Cynthiam cognouerit, a Propertio conscripta esse, sed potius condita esse postquam Cynthiam abdicauerit, transeamus ad quaestionem chronologicam, qua me ea, quae modo proposui, ualde stabiliturum esse spero.

Alteram enim ansam quaerentibus, qua tempestate carmina nostra scripta sint, libri quinti carminis primi uersus tertius:

atque ubi Nauali stant sacra Palatia Phoebo

praebet. cum enim Cassius Dio LIII, 1: *τό τε Ἀπολλώνειον*

ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸ ἐξεποίησε καὶ καθιέρωσε hoc templum anno u. c. 726 dedicatum esse tradat et Kalendarium Amiterninum (ap. Orell. c. i. XXII. p. 400) hoc a. d. VIII, Antiatinum (a. Orell. p. 401) a. d. VII Kal. Nouembres factum esse definiat, illud autem exordium ex septuaginta primis carminis primi uersibus constans antequam cetera eiusmodi carmina i. e. V, 1, 71—150. 2. 4. 9. 10 conscripta essent, factum esse oporteat — de qua re postea latius dicam — carmina ipsa ante finem anni 726 u. c. composita esse non possunt. hoc uero anno Propertium iam multas ad Cynthiam celebrandam elegias — in quarum numero totus liber primus est — condidisse fore ut certis argumentis ostendam spero.

Quorum primum ex libri primi carmine sexto elicio, quo poeta Tullum quendam amicum, ut ex hac, prima, quarta decima, uicesima secunda eiusdem libri elegiis apparet, cum in eo erat, ut inter comites uiri cuiusdam clari, cui Octauianus singulare quoddam imperium dederat, in Asiam abiret, alloquitur. disputatio igitur nostra in eo uersatur, ut quis sit ille imperator, inter cuius comites Tullus fuit, et qua tempestate ab Octauiano in Asiam missus sit, definiamus.

Hertzbergius (in quaest. Propert. p. 23 et 24) hunc imperatorem L. Volcatium Tullum Propertii amici patruum esse censet, qui postquam a. 721 consulatum egerit a. 727 Asiam prouinciam sortitus Tullum minorem natu inter comites habuerit. at Hertzbergii sententia ualde debilibus nititur argumentis. neque enim Tullum maiorem natu a. 727 in Asiam profectum esse, neque, quod multo grauioris momenti est, illum omnino Asiam prouinciam sortitum esse scimus. nam ex I, 6, 19:

tu patrui meritas conare anteire secures.

equidem hoc elicere non possum: ubi potius 'conare' uocabulum Hertzbergii interpretationi repugnat. quid enim? si Propertio in animo erat, hanc sententiam, Tullum inter patrui comites futurum esse, exprimere, quid uult 'conare' uox? ut autem dicam, quid sentiam, mihi hoc uersu poeta Tullum hortatus esse uidetur, ut patruum superare studeat. postquam igitur nullam probabilitatis speciem Hertzbergii opinionem habere demonstrauimus, circumspiciamus, ad quam expeditionem Propertii uerba referamus. equidem sub im-

peratore illo M. Valerium Messallam a. 724 ab Augusto cum imperio in Asiam missum ad turbas ab Antonii gladiatoribus excitatas componendas, intellegere non dubito. totam rem, de qua conferas Cassii Dionis l. LI c. 7 hic enarrare cum longum sit, id tantum commemorare libet, ualde probabilem esse eam coniecturam, Messallam cum gladiatores in Syria fugasset, totam Asiam minorem, cuius potior pars ab Antonio steterat, rerum ordinandarum populorumque in deditionem accipiendorum causa percurrisse ac deinde quoque Cyzicum sese contulisse, qua in urbe Antonius gladiatorum illam manum ad ludos triumphales aluerat exercendamque curauerat. quae coniectura cum optime congruat et cum nostro carmine et cum eo, quod in ipsius poetae nostri IV, 22 Tullum Cyzici morantem inuenimus, neque alia a ueteribus scriptoribus expeditio in Asiam hac tempestate facta memoretur, quae ad carmen nostrum referri possit, ego Messalla anno 724 in Asiam profecto, carmen sextum libri primi eodem fere tempore conditum esse statuo.

Porro quaerentibus alias rationes, unde Propertium iam ante finem anni 726 carmina amatoria scripsisse colligere possimus, nobis libri secundi carmen septimum occurrit, in quo poeta legem Iuliam de maritandis ordinibus sublatam esse gaudet. cum uero duae rogationes Iuliae de maritandis ordinibus distinguendae sint — id quod et ex Taciti annalium III, 25: 'legem Papiam Poppaeam post rogationes Iulias latam.' et ex Cassii Dionis uerbis LIV, 16: '*τοῖς τε ἀγάμοις καὶ τοῖς ἀνάνδροις βαρύτερα τὰ ἐπιτίμα ἐπέταξε· καὶ ἔμπαλιν τοῦ γάμου καὶ τῆς παιδοποιΐας ἆθλα ἔθηκεν*'. postremum ex ipso Nostri carmine II, 7 apparet (hoc enim carmen ad rogationem quae a Cassio Dione LIV, 16 memoratur et quae in annum u. c. 736 cadit, referri non potest, quia usque ad illum annum Cynthiae consuetudine Propertius non usus est) — cum igitur duae nobis distinguendae sint rogationes neque, ut supra demonstrauimus, de rogatione anni 736 cogitari possit, carmen II, 7 ad priorem referendum est. quam anno 726 latam esse etsi uiris doctis non concedam (cf. Hertzbergii quaest. Prop. p. 224), quia Tacitus, quem illi testem uocant (annal. III, 24: sexto demum consulatu Caesar Augustus potentiae securus, quae triumuiratu gesserat, aboleuit deditque iura, quis pace et

principe uteremur) de hac re nihil dicere mihi uidetur, cum potius amplectar Nipperdei interpretationem uerba ‘sexto consulatu’ tantum reuocanda esse ad ‘quae triumuiratu iusserat, aboleuit,’ tamen legem illam haud multo post latam esse puto, scilicet anno 727, de quo Cassius Dio LIII, 21 haec refert: *Αὔγουστος δὲ τά τε ἄλλα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα προθυμότερον, ὡς καὶ ἐθέλοντι δὴ παρὰ πάντων αὐτὴν εἰληφὼς ἔπραττε, καὶ ἐνομοθέτει πολλά. οὐδὲν δὲ δέομαι καθ' ἕκαστον ἀκριβῶς ἐπεξιέναι, χωρὶς ἢ ὅσα τῇ συγγραφῇ πρόσφορά ἐστιν.* cum uero breui post legem latam populum eam sustulisse ualde uerisimile sit, carmen II, 7 si fine anni 727 uel initio a. 728 conditum esse posuerimus, ad ueritatem nos proxime accessuros esse persuasum habeo. quae cum ita sint rationem habentibus uersuum 17 et 18 huius elegiae:

hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen
gloria ad hibernos lata Borysthenidas.

librum primum, ad quem sine dubio hi uersus referendi sunt, haud exiguo temporis spatio antequam hoc carmen conderetur, publici iuris factum esse apparebit. deinde autem retineo Lachmanni sententiam (in praef. Prop. p. 23 seq.) discidium illud ad quod IV, 16, 9:

peccaram semel, et totum sum pulsus in annum

refertur, cadere et in illud, quod erat inter librum primum editum et secundum scribi coeptum unius mensis spatium (cf. II, 3, 3 et 4:

uix unus potes infelix requiescere mensem,
et turpis de te iam liber alter erit)

et undecim illos menses, qui primi libri editionem praecesserunt [3].

[3] Annuum enim discidium fuisse ex IV, 16, 9:

peccaram semel, et totum sum pulsus in annum

apparet, tantum quo tempore fuerit, disceptatur. eis, qui anno 729 illud fuisse statuunt cf. Hertzbergii quaest. Prop. p. 217, respondeo, prorsus nullam causam neque in ipsis Propertii carminibus neque alias me inuenire, cur ita statuamus: at uero permulta Lachmanni de hac re sententiam defendunt; primum II, 2, 1 et 2:

liber eram et uacuo meditabar uiuere lecto:
at me composita pace fefellit Amor.

deinde II, 3, 3 et 4:

Itaque si ad initium Propertii amoris peruenire uolumus, a fine anni 727 aut intio a. 728 (quippe quo tempore carmen II, 7 factum sit) primum illi menses deducendi sunt, qui inter librum secundum scribi coeptum et hoc ipsum carmen conditum intersunt, deinde discidii annus, postremum illud uitae spatium, quo poeta ante infortunium Cynthiae amore fruebatur.

Quod si feceris, ante finem anni 726 hunc amorem natum esse, intelliges.

Tertiam causam, propter quam initium amoris ante carmina libri quinti nostra scribi coepta cadere persuasum habeo, peto ex III, 31: quod carmen, cum ad diem, quo Apollinis Palatini sacrum dedicatum est, respiciat, utique ante libri quinti elegias nostras scriptum esse mihi uidetur: at uero etiam haec summam ueritatis speciem habet coniectura c. III, 31 non omnium, quas Propertius scripsit, elegiarum primam fuisse, ut Hertzbergius (quaest. Prop. p. 223) censet, sed multas alias, in quarum numero totus liber primus est, antea conditas esse. cur enim si reuera hoc carmen ante cetera omnia poeta scripsit, non in libro primo posuit, cur retinuit, ut in librum tertium insereret? equidem cum prorsus nullam huius rei causam inuenire possim, non dubito, primi libri carmina ante III, 31 condita esse contendere.

At dixerit aliquis: extare in libro quarto nonnullas elegias ut quintam decimam et uicesimam B prius non solum conscriptas quam ceteras omnes libri quarti, sed etiam quam libri secundi et tertii plurimas. cum igitur in librum quartum — sic fortasse pergunt illi — Propertius carmina insereret, quibus secundum temporum ordinem nullus in hoc libro locus esset, cur non III, 31 quamuis ante libri primi carmina conditum esset, retinere potuit, ut in libro tertio

uix unum potes infelix requiescere mensem,
et turpis de te iam liber alter erit.

postremum, id quod maximam uim habet, quinque libri primi carmina sc. primum, duodecimum, tertium decimum, sextum decimum (de quo exosculor Fürstenauii sententiam, quam expressit in programmate gymnasii Rinteliani a. 1845 p. 17), septimum decimum, quae illa ipsa tempestate Propertium a Cynthia exclussum esse, demonstrant.

poneret. sed illorum libri quarti carminum ratio prorsus alia est, ac nostri III, 31, de quo nunc agimus. primum enim librum cum ante ceteros editum esse inter omnes constet, III, 24, 1 et 2:

tu loqueris cum sis iam noto fabula libro
et tua sit toto Cynthia lecta foro

librum secundum non ante librum tertium publici iuris factum esse posse demonstrant.

Deinde III, 10 et IV, 25 ad finem amoris spectant: nam etiam in eo Lachmanno assentior carmen III, 10 post ceteras elegias amatorias omnes conditum esse et poemate illo Propertium amori ualedicere. quam rem accuratius explanare liceat. illud enim carmen cum tantum ea tempestate a poeta conditum esse potuerit, ubi Cynthia abdicata carmina amatoria non pangeret — quae res ex carmine ipso liquet — aut postquam Cynthiam in perpetuum abdicauit aut in discidio quodam hoc carmen III, 10 Propertium conscripsisse necesse est. cum uero in illud discidium, quod et ante libri primi editionem et inter librum primum editum et secundum scribi coeptum fuisse supra demonstrauimus, hoc carmen et propter alias causas non quadret et quia in eis, quae nobis extant ex illo elegiae, tanti operis, in quo poeta Augusti laudes celebrare uoluit, nulla mentio fit, alterum uiri docti discidium statuerunt, quod in annum 729 cadere persuasum habebant.

At multa repugnant, quominus haec pro certo habeamus: primum quod carmina, quae III, 10 secuntur, huius infortunii nullam mentionem faciunt, deinde — id quod maximi momenti est — quod illorum carminum quibus Propertio Augusti laudes celebrare in animo erat, nulla nobis extant. at uero si illa scripsit, quoniam praefationem publici iuris fecit, cur non in libro tertio uel quarto edidit; si non scripsit, cur exordium publici iuris fecit, quamuis ipsorum carminum non editorum nullam ab Augusto ueniam peteret? quae difficultates tantum solui mihi uidentur, si carmen III, 10 post omnes quatuor priorum librorum elegias id est fere anno 732 conditum esse statuimus, quae sententia etiam carminibus tertio et nono libri quarti et nostrae elegiae uersibus 13 et 14 et 15 ualde confirmatur. hi enim uersus, qui sic a poeta scripti sunt:

iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum et Crassos se teruisse dolet:
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,

ad expeditionem Asiaticam imprimis contra Parthos susceptam spectant, quam in annos 731—734, ubi signa Crasso adempta Augusto reddita sunt, cadere omnibus notum est. sin autem eos, qui carmen III, 10 anno 729 conditum esse contendunt, sequimur cur Propertius in Caesaris dignitate amplificanda Parthos et Asiae remotas nationes commemorat, quibuscum ante annum 731 Augusto nihil rei fuit? cur non potius Cantabrorum et Asturorum illo anno (cf. Cassii Dionis LIII, 25) debellatorum mentionem facit?

Quodsi quis ex uersu 16:

et domus intactae te tremit Arabiae

demonstrare uelit, carmen III, 10 ante annum 730 (in quem cadit Galli expeditio in Arabiam facta) conditum esse, etiam post illam expeditionem Arabiam intactam et integram mansisse respondeo, quando quidem illius exitus infelicissimus fuerit. immo uero maxime delectari potuit Augustus hac laude, tremere maiestatem illius Arabiam, quae breui ante ex finibus Gallum expulerit.

Itaque mea sententia dubium non est, quod carmen III, 10 aut fine anni 731 aut initio a. 732 id est post Propertii amorem conditum sit [4].

[4] Hic breuiter liceat mihi commemorare Heimreichii mei coniecturam, qui in dissertatione, quae a. 1863 Bonnae prodiit, p. 22 seq. III, 10, 21—26 in initio, IV, 9, 47—58 in fine carminis nostri III, 10 ponere uolt. priorem transpositionem cum rectissimam esse concedam atque in hac tota re maxime Heimreichio assentiar, tamen de altera aduersarii partes sustinebo. ut enim praetermittam, hanc transpositionem difficillimam esse, cum quomodo hi uersus ex libro tertio in quartum irrepserint, haud facile intellectu sit, ne quadrant quidem in totius carminis III, 10 sententiam. cuius argumentum cum hoc sit, ut Propertius nihil aliud quam Augusti praeconia se dicturum esse polliceatur, quid uersus uolunt:

te duce uel Iouis arma cauam etc.

quibus in uniuersum poeta dicit, sese dedere uelle epicis carminibus pangendis?

Neque uero idem ille Heimreichius de eo persuasit mihi quod in dissertatione supra memorata p. 31 carmen IV, 9 statim nostrum car-

Qua ex re cum appareat, librum tertium una cum quarto publici iuris factum esse, supra autem librum secundum una cum tertio editum esse demonstratum sit, si horum trium librorum editionem in initio anni 732 ponimus, coniecturam nos satis probabilem proponere persuasum habeo.

Itaque cum hos tres libros eadem tempestate in lucem ederet, optime singulorum carminum ordinis chronologici ratione non habita in libro secundo poeta ponere potuit, quae secundum temporum ordinem in tertio uel quarto ponenda erant etc. sic ut exemplo utar, II, 7, quod certe post III, 31 factum est, in secundo libro extat et IV, 15 et IV, 20 B carmina sine dubio ante multas libri secundi et tertii elegias scripta tamen in libro quarto inueniuntur. nam hoc hic addere libet, me sub nocte prima (IV, 20 B, 1) illam noctem intellegere, quam discidio soluto Cynthia poetae primam dedit: qua ex re hoc carmen haud multo post primi libri editionem conscriptum esse, perspicuum est.

Vt igitur, quae pertractauimus, breuiter, comprehendam, Propertius secundi tertii quarti libri elegias quamuis non secundum temporum ordinem distribueret — quia hi libri simul editi sunt — tamen eas omnes post libri primi poemata scripsit, quia liber primus ante ceteros in lucem editus est. quodsi carminis III, 31 compositio in annum 726 incidit, librum primum ante hoc tempus conditum esse sequitur.

men III, 10 sequi debere statuit, ita ut III, 10 ultimum libri secundi, IV, 9 primum libri tertii carmen esset.

Concedamus enim, quod nullo pacto nos concedere ex eis, quae supra disputauimus, uidebis, III, 10 ut uolt Heimreichius non post amoris finem sed potius anno 729 conscriptum esse, ita ut in discidio aliquo Propertius Augusti laudes relaturus prooemium horum poematum ad principem miserit, nonne, si paulo post Cynthia recuperata ad carmina amatoria pangenda rediit, a Caesare eum ueniam petere, quod ab opere promisso destiterit, exspectamus? deinde nonne iure poscimus, Propertium in illa elegia, qua ueniam petat, se quia Cynthia placata sit, carmina condere uelle amatoria, exponere? at uero quid Propertius fecit, si Heimreichium sequimur? epistolam (IV, 9) scripsit non ad Augustum sed ad Maecenatem, qua illi, quia se ad epica carmina scribenda hortatus sit, in uniuersum, se ad epicorum carminum genus non idoneum esse respondet, nullo modo memorans, se, quamuis Augusto promiserit, eum se laudaturum esse, tamen, quia Cynthia placata sit, ab illo opere destitisse nec propter hanc rem ueniam petens.

Cum uero ea carmina libri quinti, de quibus tota haec quaestio instituta est, post annum 726 scripta esse ex V, 1, 3 appareat, priusquam carmina amatoria condere coepisset poeta, facta esse non possunt.

Postquam igitur in eis, quae antecedunt, ex carminibus I, 6. II, 7. III, 31 nostras libri quinti elegias ante amorem Cynthiae a Propertio conditas esse non posse demonstrauimus, relicum est, ut ex carminum et quatuor priorum librorum et nostrorum libri quinti argumentis quaeramus, utrum libri quinti elegiae illae una cum carminibus amatoriis an Cynthia in perpetuum relicta, conscriptae sint; qua quaestione instituta idem nos inuenturos esse spero, quod in priore huius opusculi parte ex rationibus metricis conclusi.

Praefatio enim illorum libri quinti carminum cum magnum opus, cuius nobis tantum fragmenta tradita sunt ut carmina II, IV, IX, X poetam condere in animo habuisse ostendat, tale opus Propertius ea tempestate excogitare non potuit, ubi puellae uinculis tenebatur. et ipse quidem carminibus II, 1. IV, 3. IV, 9 planis uerbis, donec puellam canat, a populo Romano egregie facta celebrare se non posse dicit. idem apparet ex V, 1, 59 et 60.

> sed tamen exiguo quodcunque e pectore riui
> fluxerit, hoc patriae seruiet omne meae.

itaque aut in discidio aut post amorem carmina nostra conscripta sunt: cum uero de illo discidio, de quo nonnullae libri primi elegiae agunt, et propter temporum rationes — nam infortunium illud ante finem anni 726 cadere supra demonstrauimus — et propter ea, quae ex ipso discidio extant carmina cogitari non possit, post illud primum autem infortunium longiores inimicitias inter Propertium et Cynthiam non fuisse et ex IV, 25, 3:

> quinque tibi potui seruire fideliter annos

(scilicet ab anno 727 usque ad annum 732) et ex omnibus libri secundi tertii quarti carminibus quippe in quibus nusquam talis alterius infortunii mentio fiat, colligamus, equidem non dubito, carmina I, II, IV, IX, X libri quinti post amorem i. e. post annum 732 condita esse statuere, quae sententia maxime eo confirmatur, quod in nulla quatuor priorum librorum elegia haec carmina commemorantur: quin etiam in tribus II, 1. IV, 3. IV, 9 quas diuersis temporibus

scriptas esse cum satis magna probabilitate conicimus et quarum una uel altera facile ultimis amoris temporibus condita esse potest, Propertius se talia canere posse qualia in libri quinti, de quibus loquimur carminibus, inuenimus, negat.

At uero cum et ex ratione metrica et rationibus cum chronologicis tum eis, quas ex Propertii carminum ipsorum argumentis hausimus, libri quinti carmina I, II, IV, IX, X post Propertii amorem i. e. post annum 732 scripta esse concluserimus, maximae nobis discrepantiae oriuntur, si carminis libri quinti primi eam partem diligentius inspicimus, in qua poeta horoscopum loquentem facit. nam ex his uersibus V, 1, 71—150 — quippe qui carminum V, 2. 4. 9. 10 perorationem exhibeant, ab antecedentibus 1—70, in quibus praefatio extat, segregandis, de qua re postea agam — colligere nos necesse est, carmina nostra non post amorem sed potius ante illum prima iuuentute a Propertio condita esse. quod recte me contendisse primum apparet ex uersibus V, 1, 131-135:

mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo
matris et ante deos libera sumpta toga
tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo
et uetat insano uerba tonare foro.
at tu finge elegos etc.

ubi ex oppositione, quae est inter: 'at tu finge elegos' et ea quae praecedunt 'tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo' uerbis 'tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo' tantum epica illa carmina libri quinti 2. 4. 9. 10 significare poetam apparet, quorum compositionem in primam Propertii aetatem cadere u. 131:

mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo

ipse affirmat.

Neque uero ex his tantum uersibus petimus argumenta nostrae disputationi: multo planius ex eo, quod horoscopus Propertio militiam Veneris patiendam esse — nam uictrices palmas unam puellam ei erepturam esse — praesagit, et ex futuris u. 137 'patiere' et 138 'eris' et 140 'eludet' etc. concludi necesse est haec carmina non post Cynthiae amorem condita esse. quid enim futura illa tum significant, cum Propertius Cynthiam abdicauerat? nonne prorsus absurdum est horoscopum poetam ut carmina amatoria pangeret hortari postquam amori ualedixerat?

Quae si recte a me disputata sunt, carmina nostra nullo modo post amorem facta esse possunt.

Multae igitur discrepantiae exsistunt inter haec et ea, quae supra certa nobis uisa sunt: quas difficultates equidem non nisi primi quinti libri carminis uersus 71—150 spurios esse indicamus, soluere possum.

Sententiae enim Fürstenauii, quam in quaestionibus Propertianis explicat: totum libri quinti carmen primum pro prooemio ceterorum 2. 4. 9. 10 habendum esse, a poeta factum, ut ipsum cum iam ante amorem talibus epicis carminibus condendis sese dedisset, in eis pangendis Cynthiae amore interceptum esse cognosceremus, assentiri nullo modo possum.

Primum enim respondeo, unde hauriamus, Propertium uersibus V, 1, 71—150 dicere, se iam pridem talibus epicis carminibus pangendis sese dedisse, nos non habere: at uero cum in quatuor priorum librorum elegiis se, antequam Cynthiam amare coeperit, epica carmina conscripsisse nusquam memoret, quin etiam pluribus locis se ad hoc genus carminum non aptum esse, planis uerbis dicat (II, 1. IV, 3. IV, 9) Fürstenauii propositum mihi ualde dubium esse uidetur. deinde cum uersus V, 1, 133:

tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo

et in uersibus 139 et 140:

nam tibi uictrices, quascunque labore parasti,
eludet palmas una puella tuas

uerba 'uictrices palmas' ad libri quinti carmina 2. 4. 9. 10 referenda sint mea sententia V, 1, 71—150 non pro prooemio sed pro peroratione accipiendos esse apparet: quamobrem illud concedere non possum, uersus 1—150 unum carmen efficere. accedit aliud idque non leuioris momenti argumentum contra Fürstenauii sententiam, quod, si uersus 1—150 pro praefatione accipimus, sane mirum esset, Propertium, quamuis nihil aliud dicere uoluerit, quam se pridem epicis carminibus operam dedisse, ut hanc exprimeret sententiam, per horoscopum uersibus octoginta tam multa eaque grauissima uerba facere.

Cum igitur aliter difficultates soluere non possimus, nisi carminis uersus 71—150 spurios esse iudicamus, haec

nostra sententia aliis causis, quas ex uersibus ipsis per se spectatis elicimus confirmatur.

Primum enim summas dubitationes futura illa ab uersu 137 usque ad carminis finem mihi mouent, ex quibus cum nobis carmen uel ante amorem Cynthiae uel breui postquam puellam amare coepit, a Propertio conscriptum esse, concludendum sit, tamen tam certa descriptio amoris et dolorum, quos a Cynthia repudiatus Propertius pertulerit, nobis occurrit, ut nullo pacto haec inter se consentire concedere possimus. quae difficultas tantum eo solui potest, ut uersus V, 1, 71—150 non ab ipso Propertio, sed potius interpolatoris manu ortos esse statuamus, qui cum carmen ante amorem uel incipiente amore a Propertio factum esse lectoribus persuadere uellet, tamen, quae a Cynthia pertulit Propertius, quia sibi nota erant, inscite non dissimulauit.

Similiter adiuuabitur sententia nostra, si uersus V, 1, 121—126:

Vmbria te notis antiqua penatibus edit:
(mentior? an patriae tangitur ora tuae?)
qua nebulosa cauo rorat Meuania campo
et lacus aestiuis intepet Vmber aquis
scandentisque Asisi consurgit uertice murus
murus ab ingenio notior ille tuo.

considerauerimus. si quid enim uideo, is qui hos uersus fecit, ubi Propertius natus esset prorsus nesciuit. nam cum horoscopus haec uerba eam ob causam faciat, ut Propertio se uera uaticinari persuadeat, summo iure poscimus, ut certis finibus patriam poetae circumscribat: id quod non fit in eis, quos supra descripsi, uersibus, qui nihil aliud dicunt, quam I, 22, 3. 9—10:

si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra
. . . .
proxima supposito contingens Vmbria campo
me genuit terris fertilis uberibus

ita ut etiam ex hac re argumentum eis esse praebeat, qui V, 1, 71—150 Propertio abiudicaturi sunt.



INDEX EMENDATIONVM.

Ionnae, typis Caroli Georgi.



